









XXXIV
WESS

Opuscula Theologica JOHANNIS WESSELI PHRYSII, QUI LUX MUNDI OLIM DICTUS FUIT,

De novo edita:

STUDIO

THEODORI STRACKII ESSENDIENSIS, S. THEOLOGIÆ STUDIOSI.

Catalogum eorum quæ in hoc volumine tractantur, ſequens pagina exhibet.

In fine INDEX *titulorum & rerum additus eſt duplex.*



MARPURGI, *typis Pauli Egenolphi.*

cIↃ IↃcXVII.

cusserit, eoq; regnum CHRISTI suo hoc opere amplificârit, multum esset recensere.

Multis ideò doctis ac piis viris operæ pretium visum, ut denuò liber hic novis typis describatur, omniumq; oculis manibusq; exponatur.

Prodit igitur denuò, inquam, in publicum verus ille Wesselus, proprio, non alieno colore tinctus, qui nihil hîc, nisi quod suum est, agnoscit & profitetur.

Quòd verò Tuam Reverendissimam Generositatem illius, prę multis, Antistitem elegerim, Tuæq; R.G. dedicârim; multa me impulerunt. Non verò tantùm singularis illa T.R.G. benevolentia, quâ familiam nostram à multis hinc annis clementer est amplexata: sed multò magis Christianissimus ille tuus zelus, constansq; in orthodoxa religione sententia, hoc suo quasi jure efflagitare videbantur.

Spero itaq; Rev. Generosissimaq; Antistes, tuam R.G. hoc meę gratitudinis argumentum eâdem frontis serenitate, animiq; benevolentiâ accepturam, quâ me, parentes ac fratres meos hactenus excepit.

Faxit Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, ut ejusmodi *veritatis testes* magis ac magis emergant: eorumq; Antistites magis ac magis multiplicentur: sic fiet, ut demum etiã inimici veritatis fateri cogantur DOMINUM JESUM semper regnasse, ac etiámnum regnare in medio inimicorum suorum, nullamq; tyrannorum sævitiem tantam esse posse, quæ perpetuò gloriæ ejus resistere queat. Ei verò qui est salvator corporis sui, ac caput Ecclesiæ suæ, quiq; nullum in partem horum suorum honorum admittere dignatur: ei, inquam, sit honor & gloria in seculorum secula, Amen. Marpurgi Hessorum, Calendis Junii, Anno M. DC. XVII.

R. tua G.

observantiss.

THEODORUS STRACKIUS
Essendiensis.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI
MARTINUS LUTHERUS S.

HELIAS Thesbites Propheta olim, cùm sermo Domini esset pretiosus, nec abundaret visio, occisis universis penè Prophetis ab impiissima Iesabele, arbitrabatur sese relictum esse solum, ob id vitæ pertæsus, optabat animam suam tolli, quòd unus impar sibi videretur ferendo oneri intolerabili impiissimi populi & principum ejus, nescius adhuc septem millia Domino relicta, & Abdiam cum centum Prophetis latitantibus servatum. Quæ parabola, si parvis liceat componere magna, hujus mei seculi esse videtur. Ego enim nescio qua Dei providentia in publicum raptus, cum monstris istis indulgentiarum & Pontificiarum legum, & falsò nominatæ Theologiæ, sic pugnavi, ut me solum esse putarem. Et si satis mihi semper fuerit animi, ita ut passim mordacior & immodestior accuser præ nimia qua ardebam fiducia, semper tamen id optavi quo tollerer & ego de medio meorum Baalitarum, & civiliter mortuus, in angulo mihi viverem, prorsus desperans me posse quicquam promovere apud æreas istas frontes, & cervices ferreas impietatis. Sed ecce & mihi dicitur, esse Domino reliquias suas salvas etiam in hoc tempore, & Prophetas in abscondito servatos. Nec hoc solùm dicitur, sed & cum gaudio ostenditur. Prodiit en Wesselus (quem Basilium dicunt) Phrysius Groningensis, vir admirabilis ingenii, rari & magni spiritus, quem & ipsum apparet esse verè Theodidactum, quales prophetavit fore Christianos Esaias, neque enim ex hominibus accepisse judicari potest, sicut nec ego. Hic si mihi antea fuisset lectus, poterat hostibus meis videri Lutherus omnia ex Wesselo hausisse, adeò spiritus utriusque conspirat in unum. Mihi verò & gaudium & robur augescit, jamque nihil dubito me recta

docuisse, quando tam constanti sensu, penequ eisdem verbis, tam diverso tempore, alius cœlo & terra, alioqu casu, sic ille mihi per omnia consentit. Miror autem, quæ infelicitas obstiterit, quò minus in publico Christianissimus hic autor versetur, nisi in caussa fuerit, quòd sine bello & sanguine vixerit, qua una re mihi dissimilis est, aut metus Iudæorum nostrorum eum oppresserit, qui suis impiis inquisitionibus in hoc nati videntur, ut optimos quosqu libros faciant hæreticos, quo suos Aristotelicos & plusquàm hæreticos, nobis statuant Christianos, quorum finis Deo vindice jam desinit in confusionem. Legat itaqu pius lector, legatqu cum judicio, quo maximè hic præstat, quod & egregiè format, & quos in me offendit nimia asperitas, in aliis nimia dictionis elegantia, hic non habent quòd querantur. Stilus est trivialis, ac pro seculo suo: res ipsa tractatur modestè & fideliter. Et si in stercoribus Ennii legit aurum Vergilius, poterit & ex Wesselo nostro legere quod opibus eloquentiæ suæ addat Theologus. Dominus Iesus addat ad hunc multos alios Basilios. Vale Christiane frater. Wittenbergæ, 3. Calend. Augusti.

IN

IN WESSELUM, QUI OLIM LUX MUNDI DICTUS FUIT, *de novo editum.*

ANnum centesimum jam nondum attingere clamant,
Qui prodiisse recens dogmata nostra putant.
Verè, Lutherus siquidem est inventor: at errat
Quisquis ad humanum consilium illa refert.
Verbo, quo fidei non est nota certior ulla,
Nitimur, id tollant, si documenta negant.
Hussus eo fretus, quiq; ante hæc tempora fraudem
Pontificis poterant corde videre pii:
Hi læti subière rogum, nec sæva tyrannis
Notam cogit eos ore negare fidem.
Quos inter Wesselus erat Lux splendida mundi,
Densis quum tenebris obrutus orbis erat.
Æthereas nondum tunc edebatur in auras
Lutherus, constans arguit ille dolos.
Jamq; novus prodit testis de millibus unus,
Ne prodiisse recens dogmata nostra putes.

JOH. COMBACHIUS PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

VATI-

D. WESSELI VATICINIUM.

Magister Joannes Ostendorpius, Canonicus templi divi Lebuini Daventriensis, vir multo studio, longaq; experientia doctissimus, adolescens admodum, Wesselum Phrysium (qui lux mundi vulgò dicebatur) senem adiit, & inter cætera ab eo audivit, quasi jam quod futurum erat prævidente: Studiose adolescens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum istorum Theologorum, Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejusdem farinæ, ab omnibus verè Christianis Theologis explodetur. Id ego à jam canescente Ostendorpio in templo divi Lebuini audivi, Anno 1520. 10. Cal. Martias. Hæc Noviomagus.

Decessit ex hac luce D. Wesselus, Anno 1489. in die S. Francisci. Sepultus Groningæ in monasterio, quod dicunt, spiritualium virginum.

DE

DE CERTISSIMA ET BENIGNISSIMA DEI PROVIDENTIA, QUÆ operatur omnia in omnibus, disponit omnia suaviter.

QUOD si perspicaciter consideremus res operantes, agentes, facientes, & id in lumine fidei, facilè invenimus propositionem Procli, dicentis: Primam causam non solùm plus influere in effectum, quàm quamcunque secundam, sed etiam cæteras causas contingentes tantùm esse, & ad constituendum effectum solam primam esse necessariam: ut verè dictum sit per Prophetam: Quoniam gloria virtutis eorum tu es: quasi dicat: Virtus eorum creata non haberet gloriam, nisi tua immobilis voluntas accederet & præciperet. Patet hoc ex fornace Babylonis, ubi multus ignis vehementer etiam napta accensus calor non urebat. Et eadem Dei voluntas, si placuisset, præcipere potuisset, ut subsolanus tepor vehementiùs incenderet, quàm napta in fornace ardente. Ex hoc jam facilè liquet verbum Platonis, volentis, naturam nihil aliud esse, quàm voluntatem Dei regulariter volentem: & miraculum opus divinæ voluntatis non regulariter ita volentis. Ita ut omnis causa operans, nihil aliud sit quàm vel Deus operans, vel operanti Deo cooperans. Est ergo etiam in patria, visio, æstimatio, fruitio, qui cùm sint actus in beatis spiritibus producti, licet à lumine glo-

Natura quid.

Miraculum.

riæ habituali, & à charitate perfecta habituali cócurrente, tanquam à causis non necessariis producuntur. Potest enim Deus illos actus vel perfectiores ab imperfectioribus habitibus, uti sibi placuerit, producere, & æquos ex iniquis habitibus, aut magis illos actus verè & merè seipso beatificos etiam se solo producere: & sic ipse erit visioni lumine gloriæ, & intelligentiæ, regula æstimationis, & voluntati igniculæ fruitionis. Verùm quia Apostolus dicit, charitatem nunquam excidere, manifestè confiteri oportebit, vel habitum charitatis perpetuò mansurum, vel actum fruitionis verè charitatem perfectissimam esse.

Artis opera, quomodo vivificam artem referant.

Omnia artis opera, quo verè vivant, hoc est, vivificam artem commodè referant, secundæ intentionis necesse est objecta fiant, nisi enim intendat quid ex eis, quod ars artificis intendit, mortuum & iners illi est opus artis. Quemadmodum, si symea incidit in officinam fabri lignarii, securis, dolabrum, runcina, serra, malleus, verrebrum, gnomo, circinus, omnia ista illi non solùm, sed & inerti homini effœta & sterilia erunt, & opera vacua, ac per hoc & mortua. Ut autem intendat utens quod intenderat factor artifex, secunda necesse est intentione intendat. Omnis autem creatura à summo vertice usque ad imum & ultimum, opus est artis divinæ. Monstrat digestissimus ordo simul & completissimus, adeò, ut etiam philosophi notaverint species esse ordinatas in rebus, quemadmodum numeri sunt. In quibus quisq; tantum desipit, quantò non summi artificis assequitur intentionem. Omnis igitur creatura verbum est secundæ intentionis apud sapientem, sicut opera artis intelligenti verba sunt secundarum intentionum, adeò, ut si aspiciens opus artis, usum operis ignoret. Non illi completam &

secun-

ſecundam ſui imaginem infuderit mente, neq; perfectè docuerit, unde nec plenè locuta ſit.

Deus in omnibus totaliter, cauſaliter dominatur.

Adeò Dominus Deus dominatur in omnibus, ut non ſolùm ſecundum ejus voluntatem omnia fiant, ſed etiam ab eo volente fiant, & niſi volet ea fieri, impoſſibile eſſet ea fieri, quacunq; cauſa, quantumcunque naturale, & naturaliter agente. Unde aliæ concauſſæ non totales cauſæ ſunt, neq; cardinales. Deus autem totaliter, cardinaliter, cauſaliter dominatur. Dominatur, inquam, quia cognoſcendo, dictando, volendo totaliter, eſſentialiter conſiſtere facit & ſervat, prout vult, abſque ulla ſui mutatione, quod nulla alia cauſarum poteſt: & eo volente prout vult, etiamſi nulla ſecundarum cauſarum cauſaret, nihilò minus fieret quod fit.

Autoritas aptiſſima quomodo Deus facit nos cooperare.

Adeò hæc, ut cæteræ cauſæ, non tam cauſæ quàm occaſiones dicendæ videantur, niſi verba fidei cogerentur in contrarium: quale eſt illud verbum Domini in Cœna: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. In majoribus ergo ſalutis operibus, operanti Deo credentes operantur, & in hoc ſeculo credendo, ſpectando, amando, ut veræ cooperationes Deo ſimus, & in illa cooperatione, Deus facit nos cooperari: quia ſine eo nihil poſſumus, & omnia poſſumus in eo, cõfortante nos. Ab eo enim & velle eſt, & perficere, & in illa cooperatione noſtra, noſtrũ peccatũ, vel noſtra pietas. Conſentimus enim operanti Deo, & conſenſus ipſe, Dei gratia eſt, & noſter eſt: noſter, ut quibus operantibus: Dei, ut à quo cardinaliter, totaliter operãte. In iſto nubilo umbroſo & cõdenſo, abdita illa abyſſus judiciorũ detegendorũ in illa clara die finalis judicii, quando clarè ſententiabunt omnes judicandi, & judicantes judicia Dei vera juſtificata in ſemetipſis. De qua S. Paulus

Apostolus interim exclamare docuit: O altitudo divitiarum, scientiæ & sapientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus.

In die Domini Diabolus ipse justè se condemnatum judicabit.

Illic velit nolit, Rex ille super omnes filios superbiæ judicabit, & palàm judicabit justè se condemnatum: quia rationem reddet ibi, de omni verbo & voto suo rationem reddet, quando secundum rationem, hoc est, secundum conscientiam in judicium de veritate tractabit. Juxta illud *2. Pet. 2.* Rudentibus detractos tradidit cruciandos in judicium reservari. Si servantur in judicium, servantur in rationem reddendam. Si de verbo otioso, igitur de omni verbo blasphemo. Et hic urentissimus ille ignis in sublimem oculum superbiæ suæ, qui in æternum non extinguetur, quia opprobrium sempiternum quod non delebitur, erit ei: illa ratio per ipsum non potentem tergiversari, ratio reddenda coram omnibus luce meridiana clarior. Non est ullis ægris oculis, quantumlibet ægris, ulla Solis claritas tam odiosa, quàm suæ contumaciæ odiosa erit meridiana illa & clara reddendæ rationis necessitas. Nullus ei infernalis ignis eo fulgore ac splendore urentior, quoniam ea necessitas directè in pupillam superbissimi oculi ejus.

Franciscus in abdita naturæ penetravit.

Grandi & alto considerationis oculo Franciscus penetravit in abdita naturæ, quando universam creaturam fraterno affectu complectebatur, ignem fratrem appellans, & alaudam sororem, & ignem & solem fratres, tanquam ab eodem Deo patre ortas, unde non in illas dominium vendicare audebat, sed auxilium tantùm postulare præsumebat. Magis autem augebitur trepidatio ista reverentis animi, si Deum in omnibus operantem aspiciamus. In igne calefacientem, in sole lucentem, ferventem, foventem, germinantem, ut non tam nobis creaturæ subserviant, quàm creator suo jussu cuncta nobis præstat.

Hoc

Hoc si attentè in omnibus adverteremus, non tam insolenter nobis regnum vendicaremus. Hunc veræ perpetuæ pietatis affectum supprimunt, suffocant, perimunt, qui sic putant res Deum instituisse, ut ipsæ res agant, non Deus in eis: cùm tamen Deus in eis agentibus quemadmodum lux in colore lustrante vel rutilante.

Valde videntur discordare ex una parte, sententia communis, & verba scripturæ: & ex altera parte, intentio Domini Jesu, volentis totam sollicitudinem nostram & curam & cogitatum nostrum projicere in Deum Dominũ patrem, tanquam ei cura sit de nobis, cùm tamen ager bonus, & arbor bona producit fructus bonos. Sed hęc repugnantia facilè solvitur, si causas tollamus, & pro eis ponamus occasiones, ut verè sit Deus agens omnia in omnibus, & solus agens causaliter: hoc est, sic agens in omni externa creaturarum actione, ut sive secundæ causæ cooperentur, sive non, quando ipse vult efficaciter, semper sequitur effectus: & si non vult efficaciter, quantolibet impetu naturali & studio conentur, nihil fiet. Et hoc modo licet secundæ causæ, verè causæ sint: comparativè tamen solum occasiones habendæ, ut verè omnis cura & cogitatus noster in illum dignè & sapientialiter projiciatur: verè tamẽ secundæ causæ, concausæ sunt. Juxta illud: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet, sed sub eo faciente faciet, quia sine eo nil potest.

Repugnantia sententiæ communis & intentionis Domini Iesu, quomodo solvenda.

Natura nihil aliud est, quàm voluntas Dei.

Si natura nihil est aliud, quàm voluntas Dei, consuetudinis lege regulata, & miraculum ejusdem Dei voluntas præter solitum, liquet non causarum diversitate naturam à miraculo secernendam, verùm solito & insolito tantùm. Unde revera nihil de naturalibus amplius quàm de Dei voluntate. Neq; aliter fidendum, ut puto, de vita longa, vel ex bona complexione, vel

bona diæta, vel multitudine remediorum. Revera nihil plus fornax ex se Babylonica adussit Caldæos, quàm refrigeravit Hebræos. Nihil plus aqua ex se submersit Ægyptios, quàm vallabat Hebræos. Utrumq; & aqua & ignis, Deo jubente, facit. Unde si vellet, ita rupes fluerent, ut nunc procellæ, & procellæ subsisterent, uti nunc præminentes petræ, & hæc in rebus naturæ. In rebus autem rationis, tametsi similiter quo ad ea, quibus principaliter ab eo, & pro tanto etiam necesse semper ejus voluntatem compleri: quia tamen regulariter hominem à se conditum reliquit in manu consilii ejus, noluit omnia humanę voluntatis, prorsus in se velut in totalem causam referri. Nam qui hominem sine ipso condidit, non eum sine ipso salvabit? Et mirabile dictu, ut cujus sibi perditio ex se, illi tamen tota salus, & totaliter ex Dei voluntate fit. Hæc ergo voluntas liber vitæ est, in quo conscripti sunt omnes filii Dei, ex quorum beato numero perit nemo. Testatur verbum Domini ex Moyse allegatum: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Verbum enim Dei vita est, & lux hominum, quo vivit omnis homo. Illud enim est vita omnium viventium, & quod cum distributione dicit, in omni verbo, cùm sit tantùm unum verbum, non moveat, quia non pro verbi numero, sed pro verbali varietate distribuit. Sicut & Apostolus Jacobus distribuit, dicens: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, cùm sit tantùm unus (Isaiæ testimonio) filius datus nobis, & unus tantùm Spiritus sanctus, ut donum ab æterno procedens. Nam & filius multipliciter datus, salvator, redemptor, liberator, sanator, doctor, propugnator, sponsus. Similiter & Spiritus sanctus multipliciter donatus.

Nota.

Voluntas Dei liber vitæ.

Vnus ex passeribus, non est in oblivione coram Deo.

Nónne quinq; passeres asse uno veneunt, & unus ex his non

non est in oblivione coram patre vestro cœlesti. Est semper igitur passerum quos condidit, pavit, gubernavit, adeoq; gubernavit, ut nec unus eorum in terram ceciderit absq; voluntate patris. Imò nec folium arboris in terram cadit absq; ejus voluntate: liquet grande quippiam in rebus creatis conditum & absconditum latere. Datum quidem à principio in dominium hominis & grandem usum, sed id ante maledictionem ex prævaricato mandato. Pergrandia enim esse necesse est, quę tanta benedictione in usum sapientiæ, gloriæ & charitatis homini filio Dei donata fuerunt & commendata. Quorum hodie magnitudinem angeli considerantes, ingenti altrinsecus clamore clamitant, cœlum, terram plenam gloria Dei. Neq; hoc de angelis beatis mirandum, quando quidem Deus ipse qui digna habuit ut conderet, & opificio suo digna habuit, etiam digna habet quæ moderetur. Habet igitur digna quo non obliviscatur, qui nihil oblivisci potest. Qui volantium igitur passerum, & vento raptorum foliorum arborum non obliviscitur: ille neq; ociosorum verborum nostrorum obliviscitur, non stultorum verborum, non venenosorum verborum, non pernitiosorum verborum magis, aut non utilium, non sanorum verborum, non sanctorum verborum obliviscitur.

Agricola quantumlibet fideliter ac diligenter serat agrum suum, nihil est quòd sudavit, si non de cœlo Deus benedicat operi ejus. Neq; solam de cœlo post jacta semina benedictionem expectat, quin & quod fundum fertilem habet, quod semen, quod jumenta, quod instrumenta, quod membra, vires, voluntatem serendi habet. Postremò & ipse quod est universum à Deo habet benedicente, ut penitus & nos & omnia nostra prorsus à Deo sumus. Et licet omnia sic à Deo ut penitus ab eo sint, vult nihilominus agricolam hæc & per hæc operari, & adeò vult, ut cùm ipse totum faciat, pigrum tamē & stertentem agri-

colam,

colam, ſicut nulla benedictio, ſic nullus etiam fructus ſequatur. Vult igitur colonum ſuum Deus in agro cordis colendo, magnum cum ſe agente, & univerſa faciente, magnum nihilominus habere nomen.

Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Poſt laborem & ædificationem, poſt vigiliam & cuſtodiam, neceſſaria confeſſio vanitatis, niſi divinitùs in finen & fructum dirigantur, ſalventur, & perducantur. Vigilare tamen oportet & cuſtodire, ſed ſimul ſcire, nihil eſſe vigiliam noſtram aut cuſtodiam, & huic ſcientiæ & confeſſioni fiduciam adjicere, quia cuſtodiet, & orare ut cuſtodiat, & per ſuam pietatem obſecrare, ne incuſtoditos deſerat, & gratias agere, quòd non tradiderit nos in captionem dentibus eorum, & confiteri, quia niſi Dominus fuiſſet in nobis, quando Dæmones exurgebant in nos, certè vivos deglutiſſent. Vult enim Dominus ex nobis penſum vanitatis noſtræ, quantumcunq; opus noſtrum ab eo ſit, ut ſimul debito involvat ſi nō fecerimus, & ſi fecerimus humilitate, gratificet. Dat enim gratiam humilibus, qui conterit peccatores.

Qui primus deſcendebat in piſcinam poſt motum, ſanabatur.

Non dubium, quin ſtudium ſingulorum ad illum primatum introitus, quia cuiq; ſua ſanitas deſideratior, ſed ſui deſiderii ſtudium, certamē & contentionem generabat, imò etiam jam contentionem & offenſam pariens. Sed ita debuit quiſque amare Deum, ut omne ſuæ ſanitatis deſiderium in Dei voluntatem prorſus referret: neq; aliter ſanus fieri vellet. Eadem ergo primi deſcendentis cujuſque ſanatio, contentionis quidem irritamentum fuit in corruptis, quæ amoris Dei examen fuit in ſanis.

Si fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus

Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei vestiet in exteriori homine, multò autem maximè in interiori? Qui enim exteriora propter interiora condidit, si dignatur tam sedulò per seipsum tanta sedulitate externa, velut accurata perficere, etiam usq; ad minima & ultima, ut lapsus foliorum, quam ex illis fides, quam parva fiducia, non cum petentibus, velle donare nobis interioris hominis ornatum, ut in albis ambulemus coram ipso, si petamus eum qui gaudet & peti & invocari à nobis pater. Vestiet igitur interiorem hominem nostrum meditationibus electis, judiciis rectis, desideriis perfectis. Et quæ meditationes electiores, quàm quæ de Domino Jesu? quæ judicia rectiora, quàm quæ secundum ejus doctrinam? quæ perfectiora desideria, quàm ejus amori vicem reddere? Hæc velut candida vestimenta interioris hominis nostri, si petamus à Patre nostro cœlesti, planè, quia gaudens dabit nobis, qui etiam non petentibus nobis, imò abhorrentibus, & frenetico more repellentibus, misit Verbum suum, & sanavit nos.

Pater noster dabit spiritum bonum petentibus se.

Consideratio dormitionis & somni.

Vehementer me turbavit priusquàm perspicerem, consideratio illa dormitionis & somni, qua nihil mens nostra operatur, sed ociosa tota, pressa & obruta jacet velut pecus, adeò, ut verè mihi propiùs ad sententiam Aristotelis accessisse videatur Alexander quàm Themistius. Volebat autem Alexander intellectum secundum se organicum esse, sicut visum & sensum communem. Quid enim aliud præferre videtur intellectus & voluntas, quando ita somno premuntur & ociosa sunt, quemadmodum visus & auditus, ut hinc velut efficaci argumento convincatur intellectus nihil intelligere, nisi fantasmata speculando? Fantasmata autem sensationum omnium ultima simulachra sunt. Stultum autem dicere solis his intelligendis alligatum nostrum. Pleraq; suavissima voluptate tractat, quorum

nullum poteſt eſſe fantaſma, ſed ſequeſtratus à fantaſmatibus cogitatus. Et ea quoniam nullius corporis imagine repræſentari poſſunt, nullius etiam corporis organica virtute poſſunt apprehendi, qualia ſunt, intelligentia, ſapientia, amor, juſtitia, pietas. Quæ ſi verè per intellectum tractantur, & nulla corporali organica virtute, neceſſe confiteri, virtutem etiam non organicam poſſe otioſam eſſe, ut mens nihil ſapientialiter intelligat, nihil juſtè concupiſcat, vel diligat, vel amet, cùm profundè dormit ſenſus communis. Nihil expergiſcentes medio tempore tractaſſe novimus illorum affectuum aut motuum. Oportebit ergo hujus otii altiorem eſſe cauſam, non per ſeculi hujus philoſophiam, ſed fidei tantùm pietate veſtigabilem, liberam ſcilicet voluntatem cooperantis & non cooperantis increati ſignati ſuper nos luminis vultus Dei. Quemadmodum enim ſpiritus, ubi vult, & quando vult, ſpirat, ſentimus motum cordis ab eo fieri: ſed quando veniat, quando moveat, quando abeat, non noſtro, ſed ſuo moderatur arbitrio. Sic etiam intellectus noſter velut oculus corporalis, lumine deſtitutus corporali ſolis hujus, nihil videlicet quando deſtituitur ab illo lumine, velut totus ocioſus eſt. Neque ſolùm dormientes eo deſtituimur, ſed etiam ſæpè vigilantes adeò ſtupemus, adeò torpemus, ut verè nos reperiamus otioſos, interdum autem acutiores abditiora etiam penetremus. Unde ſicut illius increatæ lucis arbitrio, alius alio ſapientior, & alius alio otioſior aut fructuoſior, ſic etiam idem ſeipſo quandoq; quidem acutior, quandoq; hebetior. Neq; offendet, ſi naturaliter id quia regulariter fieri videtur, ut in ſomno ſit regulariter otioſus intellectus. Conſtratam hanc & planam viam facilè pietas fidei inveniet, ubi nec Alexander peripateticorum acutiſſimus, neque Ariſtoteles peripateticorum princeps viam inveniret. Intellectus enim agens (quoniam naturali illuſtratione ſemper ſpecies in mente is illuſtrat)

lustrat) æquè & in somno & in vigilia illustraret. Mirum præterea quomodo non & voluntatem, agente igne, suscitet Aristoteles, qui tantoperè possibilem intellectum putavit agente lumine excitandum, nisi fortè satis putaret voluntati per sapientialem rationem excitari & suscitari ad volendum. Sed hoc germanũ est valdè ex illorum errore, qui putant semper, quando recta est ratio, rectam esse voluntatem: sic enim non esset magis libera voluntas, quàm nunc intellectus. Alexander autem summum decus ac dignitatẽ tollit ab homine, & omnem extinguit in homine divinitatem. Neque moveat quòd beato Thomæ & Aristoteli favere videtur Apostolus, *1. ad Corinth. 2.* loquens de sapientia Dei abscondita in mysterio, quam nemo principum hujus seculi cognovit, & subdit conditionalem: Quia si cognovissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent. Quæ si vera est, necessaria est, ut non potuerint cognovisse & contravenisse: quia conditionalis Apostoli de vera sapientia est una cum spiritu spontaneo assistente, dulciter urente, & movente voluntatem, de qua rationis rectitudine non intelligitur articulus Parisiensis. Qui enim spiritum filii habent, & rectè judicant, & justè volunt. Quin & quod amplius est, videtur magis intellexisse de sapientia comprehensorum quàm viatorum. Quoniam ad hoc magis videtur tendere sequentis confirmationis argumentum, quo subdit, quemadmodum scriptum est: Oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Licet ergo hæc verba commodè possint, quanquam non ita germanè, de viatorum sapientia intelligi, ad quam commendandam, allegata scriptura inducitur.

Contra Aristotelem ponentem intellectũ agentem.

Error Aristotelis & Thomæ.

De articulo Parisiensi.

Sententia Wesseli contra Aristotelem de intellectu agente.

Quòd si mea de intellectu agente contra Aristotelem opinio

opinio vera eſt, quam plura ſacræ Scripturæ loca ſtabiliunt, ut illud: Et vita erat lux hominum, hominum, inquam, ut homines ſunt, & lux illa in tenebris noſtris lucet, etiam cùm non recipimus eum, non minùs quàm ſecundum Ariſtotelem. Lux intellectus agentis cùm ſit inerrabilis, lucet errantibus in omni eorum errore, quoniam poſſibilis intellectus, niſi per agentem, nihil eſt in actu magis quàm viſus aut oculus abſq; lumine. Et quia rationes Ariſtotelis de intellectu agente nihil tam evidenter concludunt, eum animæ potentiam eſſe, quin commentator ejus Averrois agentem intellectum poſuerit realiter extrinſecum, licet in operando commentum, ſicut lumine ſolis realiter coloribus & viſivæ potentię diverſum, ad videndum tamen oportere conjungi, & cauſaliter ſimiliter concurrere, ſicut cauſas eſſentialiter ordinatas. Et quia ſacras ignorabat, ideò quia neſciebat ſignatum ſuper nos lumen vultus Dei, poſuit infimam intelligentiarum nobis pro ſole intellectuali, & univerſali intellectu agente. Et licet verum ſit, intelligentias vel angelos illuminare poſſe noſtram caliginem, ſicut ſunt Hierarchico principatu ſuper nos, verùm hoc non poſſunt niſi ſuo illuſtrati ſole, quemadmodum ſpecula vel terſa & polita, aurea, argentea, vel alia metalla, luce quidem reſplendentia, lucent etiam ipſa, ſed non ſua, ſed incidentis luminis claritate. Sed ſolare lumen, prima viſibilibus omnibus videndi cauſa per ſe eſt. Hæc ſi vera ſunt, & quia vera eſſe oportet, quid oportet naturalem aliquam potentiam intellectui ſuperaddere, cùm ſemper in paucioribus via magis. Neceſſariò ſequitur, ſicut intellectui poſſibili Deus eſt lumẽ agens ut intelligat, ita etiam intelligentiæ metrum primum, & ſtatera æſtimandi, & voluntati ſcintilla prima, momentum primum incitativum. Hæc, inquam, ſi vera ſunt, quæ falſa eſſe non poſſunt, quis non videat, quàm lata ſcripturæ ſuperficies ex hac una veritate illuſtretur & inclareſcat.

Rationes Ariſtotelis non evidenter concludunt de intellectu agente.

Imò

Imò quia primum legis mandatum statim hinc illucescit rationabilissimum esse,ut nostrum solem,nostram lucem, nostrum vitalem calorem, ex toto corde, toto spiritu, tota anima, tota mente,tota intelligentia,tota voluntate,toto desiderio,tota dilectione,toto amore desideremus,diligamus,amemus, necesse totam legem & Prophetas, & universam sacram paginam ex una hac veritate illustrari. Et hoc non solùm ad intelligentiam, sed etiam ad promptiorem obedientiam. Quis enim recogitans, nihil se posse vel meditando, vel dijudicando, vel desiderando,non illo interno sole lucente, dirigente, trahente ? Quis, inquam,hæc recogitans,vel de se, vel contra alios extolleretur? Hic enim verè recogitans nihil se habere quod non acceperit, & ab illo, & sic acceperit, ut ex momento in momentum & semper accipiat. Nunquam gloriabitur quasi non acceperit. Non facilè quenquam aspernabitur, etiamsi quos viderit non tantùm accepisse, quia idem Dominus dives in omnes, potens est illi dare sicut isti. Facilè humilietur sub omnipotenti manu Dei.Prona est ei spontanea promissio gratiæ humilibus promissæ. Quid amplius dicam ? Ex hac veritate sedulò pensata,& crebrò recogitata in omne bonum hominis aperta brevis recta via est homini. Sed væ tibi ô duritia cordis mei, quam nec ista nec alia suprà annotata emolire possunt. Neque considerando illa quæ Deum & Dominum meum, patrem meum, & matrem meam omnibus paternorum & maternorum viscerum necessitudinibus, Verbum incarnatum, fratrem & sororem scio spiritum æternum patris & filii amicum & amicam, sponsum & sponsam confiteor & scio. Nihilominus ego gelidus & stupidus, sine affectione : verùm aliqualiter me consolatur illa, de qua : Beati qui lugent.

Primum legis mandatum, debitum rationabilissimum.

Deploratio de duritia cordis humani.

De synterisi & ratione.

Unde quod Aristoteles intellectum agentem, hoc ego lumen

men vultus Dei, quod ille de synterisi, & ad optima deprecante ratione, ego non animæ potentiam, aut naturalem habitum animæ, sed magis inspiratum spiraculum vitæ divinitus, & divinam, tum voluntati, tum intelligentiæ assistentiam.

Mensura humanæ vitæ, non à natura, sed à sola Dei voluntate.

Hæc est opinio mea de unione vivifica corporis & animæ, qua teneo, divinitus plasmato corpore, sive in paradyso, sive in matris utero, sicut per nullam naturalem potentiam anima educitur de potentia materiæ, sed solùm divinitus inspiratur in faciem ejus spiraculum vitæ: Qui nexus, sicut à principio tantùm à Deo pependit, ita continuatio ejus similiter à Deo tantùm, & conservatio usque in finem: ita ut nisi illo separante, quo conjunctæ sunt, ab invicem dividi divellique non possint. Hæc, inquam, sicut probabilia sunt, si ita vera sint, multa facilè scripturæ verba clarius intelligentur, quàm communiter intelliguntur, ut est illud: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum. Faciam dies ejus centum & viginti annos. Et illud: Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt. Et illud: Numerus mensium ejus apud te est. Et illud: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Eodem ergo verbo vivit homo, quo cœli firmati sunt, non transituri, nisi verbo mutante eos. Igitur neq; homo, nisi eodem verbo vitam hominis rescindente, tanquam telam texentis dum adhuc orditur, tanquam de manè usq; ad vesperam finiendus. Manè enim principium inspirati spiraculi vitæ, vespera recisæ telæ finis est. Orditio texturæ media, sive brevis illa sit, ut morientis in utero, sive longa, quanta fuit in Mathusalem, sive media, qualis post diluvium, semper à verbo voluntatis divinæ pendet, manentis in corpore spiraculi vitæ mensura. Nulla igitur encrasia, nulla bona complexio, nulla bona valetudo, nulla

Nulla bona complexio, nul-

nulla sanitas facit ad longam vitam. Nulla ægritudo, nulla vulnera, nulla vel ferri, vel ignis violentia, absq; decreti illius interventu vitam abbreviare possunt. Neq; obstat, quòd jugulo, aut flagro mori videmus homines, & credit multitudo sic fieri naturalium causarum concursu, quod à sola voluntate Dei præcipiente geritur. Sola enim separat, quæ sola conjunxit. Externarum rerum ordinem pro congruentia dispensationis non solùm sustinet, sed insuper dictat & facit ipse Deus, ut occasiones, non ut causas tantæ rei, ut credamus quòd sibi soli Deus hominem vendicet. Et sicut efficienter ab eo solo pendemus, ita per amorem finaliter semper illi inhæreamus, & unus cum eo spiritus fiamus.

Nulla sanitas facit ad longam vitam.

Nulla mors hominis est naturalis.

Ea quidem sententia, nulla mors hominis naturalis est, quemadmodum unio corporis & animæ non naturalis est. Quantumlibet enim embrio dispositus ad formam humanam recipiendam, potentialis tantùm est & subjectiva seu materialis, nihil efficaciæ habens, ut formam producat hominis, qua homo fiat. Sed ut homo fiat, necesse est, ut in faciem ejus Deus vitę spiraculum inspiret, & corpori vitę spiraculum uniat. A solo igitur Deo pendet unio ista, & quæ à solo Deo dependent unita, dissolvere nō potest, nisi solus Deus. Hanc scientiam videtur Dominus Jesus confirmare suis verbis, *Luc.12*. Quia non in abundando cuiquam vita est ex his quę sunt illius: & subdit parabolam de divite, cujus ager multos fructus attulit sano & læto: cui nihil tale speranti inter gratulandum, lætandum, & pro longa vita plaudendum, Deus dixit: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Hinc ubi dixit in corde suo, pax & securitas, repentinus supervenit interitus. Quæro quibus causis naturalibus? Neq; offendat verbum plurale repetent: quemadmodum idem qui in conditione cujuslibet hominis pluraliter dicit:

A solo Deo vita nostra dependet.

dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Idem etiam repetent indivisa actione, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Deus unus, qui sententia sua ducit ad inferos & reducit. Idem occidit & vivificat, vivificat solus, & solus occidit: licet sensibilibus temporum congruentiis regulariter foris res administret, ut sapientia fidei ab insipientia surdorum secernatur. Propter quod & clamavit: Habens aures audiendi, audiat. Quare fideliter sapientes norunt, quòd non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, hoc est, quandiu præceptũ verbum Dei vult, ut panis nutriat comedentem, tamdiu vivit, & non ultra. Si quis ergo dicat panem esse naturalem causam, sine qua non verum dicit, quandiu sic Deus præcipit. Sed quia hoc non omnibus, ideò fidelius credunt, qui totam suam vitam & mortem, sive in matris utero, sive extrema senectute, sive medio tempore vocantis & pulsantis & repetentis in Dei voluntatem referunt.

Contra prætoris edicta nulla prosunt medicorum unguenta. Prętor autem gravissimus, quando idem legislator, intercessor & redemptor est vinctorum & accusatorum. Dominus autem Jesus redemptor noster, intercessor noster, prætor noster, qui idem ipse legem condidit, ut vigilaremus & negotiemur donec veniat. Venit autem cùm illi placitum fuerit. Interim omne tempus velut constitutarum per eum nundinarum, neque ultra, neque citra suam legem durantium, qui pro singulis mortuus est, singulis ut jussit, ut promisit, veniet & pulsabit, neq; ultra licebit negotiari, exulibus proscriptis, relegatis, nundinaliter tantùm admissis, & à principio legis hujus usque ad ejus adventum currit nobis tempus, nec ultra erit negotiandi potestas per ullum unguentum aut pharmacum.

Contra

Contra Aristotelis sententiam, quòd mors non est terribilium terribilissimum.

Vult Aristoteles, quòd omnium terribilium terribilissimum est mors. Unde vulgaris illa multorum opinio: Inexplicabilem, quia incomparabilem dolorem esse dolorem fracti cordis. Hinc frater Johannes Aquisgrani tam plenis & immoderatis verbis auxit illius dolorem, ut suo mendacio resuscitatum induceret, asserentem, se malle omnem purgatorii pœnam, imò inferni pœnam usque in novissimum diem perferre, quàm denuò mori. Non advertunt inconsiderati isti, cùm talia dicunt, somnum, epilentiam, letargum, somnum profundum, congelationem, apoplexiam, non solùm indolorosa esse, sed animo insensibilia propter opilationem sensitivi primi. Hoc si ita est, imò quia ita est, & lege naturæ aliter esse non potest, nulla vel exiguo dolore sensibilis est, quia non solius primi sensitivi oppilatio ante mortem, sed omnium organorum corporalium complexionalis destitutio separationem animę antecedit. Nullum igitur dolorem anima morientis persentit. Si verò de subitatione novitatis loquimur, qua moriens, mox in illam lucem insolitam sibi, cognitionem dico mentalem intuitivam, quam omnes animæ morientium accipiunt, eo ipso instante separationis, ab re dolorem vocamus, cùm dolor non contingat in cognitione intellectiva, sed in tactu tantùm. Fortassis mœrorem aliqui patiuntur, dolorem non ita. Jam facilè de verbo Aristotelis liquet, quomodo accipiendum: liquet quosdam terribilium suorum per mortem exitum quærere: his mors pro asylo est. Sed ne fortè Aristotelem nō de insipientibus locutum: Num Paulus insipiens, quando cupivit dissolvi, & esse cum Christo, quando exclamavit: Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Dicis fortasse locutum ut ethnicum. Sed nónne ethnicus erat, quando ipse seipsum in æstuantem

Anima morientis nullum dolorem persentit.

De morte Aristotelis.

euripum præcipitavit, ſuorum diſcipulorum improperium, ipſa morte magis terrentius, ac per hoc terribilius ducens, magis veritus eſt. Non igitur ſimpliciter verum eſt, mortẽ omnium terribilium terribiliſſimũ eſſe. Sed unicuiq; ſui amoris jactura terribiliſſima eſt: avaro pecuniæ, ambitioſo gloriæ jactura, crudeli potentiæ, ſapienti ſapientiæ jactura. Quiſq; quod amat, vitæ jactu redimere parat. Solus eſt amor, qui ſapientum & inſipientum ſtudia ſecernit. Solus eſt amor, qui cuiq; ſuum terribiliſſimum præſtituit.

Mors eſt ſervis Dei ab exilio, & multis miſeriis ad patriam tranſmigratio.

Cùm venerit filius hominis & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi, qui vigiles & prę̃ſto parati obſervaverunt nõ modò, ſed & deſideraverunt, ſed expectaverunt venturum. His hujuſcemodi ſervis, non ſervis, ſed amicis mors non mors eſt, vitam adimens, commutatio eſt ab exilio in patriam tranſmigrans, à tenebris in lucem, à luctu in lætitiam, à lachrymis in gaudium, & à penuria & mendicitate in opes ſuperbas & ſecuras. A latrociniis, ſervitute & miſeria ad exultationem feliciſſimi & deſideratiſſimi regni. Ut non ſolùm in oculis Domini tam pretioſa munera per mortem conferentis, pretioſa ſit mors ſanctorum ejus, quin & in conſpectu morientium ipſorum, quibus mox ut ſtolam hujus mortalitatis, hujus cœcitatis, harum tenebrarum, hujus infirmitatis, vanitatis, vilitatis & calamitatis exuerint confidenter, & beata ſpe ſitientes ad vitæ fontes aquarum ducet illos Dominus Deus noſter.

Mors non ſupplicium eſt, ſed maximorum bonorum inſtrumentum.

Si pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus, quantò magis ſanctificatorum ejus, ubi culpam remiſit pater? Si pœna decreta adhuc infligitur, non jam irati patris virga eſt,

ſed

ſed utilis medentis & miſerentis medicina. Mors Adæ prævaricatori inflicta ad pœnam prævaricatoris poſt perfectam abolitionem (quam etiam lex promittit) non jam ſupplicium eſt, ſed maximorum bonorum quæſtuoſum inſtrumentum. Non ſolùm autem mors, ſed & infirmitas & penuriæ, contra quæ militat vita noſtra, quæ militia eſt ſuper terram: Quòd ſi vita militia, ergo in conflictu, ergo in exercitu, ergo ſub duce, ergo adverſus hoſtem, ergo ad victoriam. Et ſi militia tota vita ſuper terram, ergo victoria poſt vitam, in fine vitæ, imò in morte ipſa precioſiſſimum ſpectaculum hujus militiæ, quoniam fortis ut mors dilectio. Et propterea precioſa in cōſpectu Domini mors ſanctorum ejus, quia fida dilectio in morte victrix eſt.

Victrix in morte eſt dilectio.

Velut ſeptem diebus ſeſe conſequentibus omne hoc ævum volvitur.

Sic ſeptena ſeptem rerum neceſſariò ſeſe conſequentium conſideratione, totum præſentis noſtri incolatus negocium agetur, & ſi diligenter cōſideremus, ſalubriter agetur. Vita enim noſtra volvitur annua rotatione, quę niſi iteratis vicibus ſuccedat, in infantia abſcidat. Succedentes anni ſi non maturior ætas abrumpit, ſenectutem ducunt. Senectus virtutum omnium lapſu, morbos conducit. Morbus, mortem advocat. Mors, indeclinabilem à dextris aut à ſiniſtris ſortem ſtatuit. Sors qualiſcunq; irrefragabilem judicii ſententiam expectat. Et ſententia ipſa judicis, indeclinabili executione verificabitur & confirmabitur. Igitur juvenis & adoleſcens hæc futura, ſenex ſi præterita, pertractet, facilè velut oculis ſemper objecta monimenta ſapientiæ inveniet: ſi tamen ſapientia eſt, ſicut verè eſt, libenter de finibus cogitare. Major enim hæc Chriſtianorum quàm Philoſophorum ſapientia cenſenda. Illi enim ſummam philoſophiam putabant, aſſiduam mortis cogitationem. Nobis autem mors pro minimo eſt, propter maximas eas res, quæ tranſacta mor-

Septem diebus ævum volvitur.

morte, incomparabiliter majore discrimine impendent. Nam si grandium rerum suarum necessarius & utilis cogitatus sua cuiq; sapientia est, quæ major sapientia cogitari poterit? Igitur ut jugi mortis meditatione dum vivimus, quæ præsentis vitæ voluptibilia sunt & vana, contemnamus, & verborum bonorum consideratione ac desiderio inardescamus, rectum, justum colamus, ut quæ ante mortem facta sors incipit, feliciter post mortem à dextris, decreto judicis firmata, perpetuam consequatur & sors nostra beatitudinem. Ad quam per Jesum datum viaticum, indicata via, & aperta est janua, sanguine Jesu solutum precium, cujus patrocinio, si verè illum diligamus, dabitur possessio.

Memoria mortis quare frequentanda.

Efficax cogitatio mortis, fructum magnum facit.

Frequenter igitur & efficaciter de morte cogitandum. Habet enim efficax cogitatus mortis fructum magnum. Quia seminarium omnium illorum bonorum, quem quomodocunq; felici transmigratione piorum conqueruntur. Quæ procul dubio magna sunt, si preciosa sunt in conspectu Domini, adeò, ut illorum æstimatione, preciosa sit mors ipsa sanctorũ in conspectu Domini. Quid nõ ergo etiam preciosus cogitatus, & crebra præmeditatio mortis, monens, urens, excitans, propellens, docens non his temporalibus hærere, sed illo contendere, ubi certa, firma, fixa, æterna bona sunt, & talia bona, quæ media morte petenda sint sapienti? Considerandum, quod Spartiatarum & Philenorum, & priscorum Romanorum sententia contempsit.

Quòd salubris mortis memoria.

De magna fiducia in morte ad Deum habenda.

Verùm exili pœnitudine, omnia retroacti temporis damna reparantur. Magnum adhuc superest ruinæ levamen. Bona voluntas in futurum. Ad illam non segniter confugiendum, quæ si multum velit, omnia compensat. O beatum virum, cui præsto est bona voluntas. Paxilli de cœlo per legatos angelos pacis man-

mandatur. Quantumlibet igitur breve reliquum vitæ tempus, quantumlibet incerta hora mortis, quantumlibet certa mors, in te est Wessele, ut nihil horum formides, quæ terrent in morte. Mala quæ mortem præcedunt: Labor & molestia ægritudinis: Angustia animi nolentis subire quod oportet: Avulsio amicorum: Amissio votorum. Præterea, quæ sequuntur: Verendum judicium, & exequenda sententia. Horum plurima non tam gravia perlatu, quàm terribilia auditu. Nam quæ maxima in his, ut judicium & sententia, in nostra sunt potestate, ut præveniamus & avertamus. Quia bona voluntas pacatum habet judicem, quia redemptorem, priusquàm haberet bonam voluntatem. Imò sufficit fides in illum, & invocatio nominis ejus, & in nomine ejus postulare patrem ejus, & hoc ut salvus fiat, sic tamen quasi per flagella: ut verò sine flagellis mox transeat ad palatium, opus est ut in illum confidat de bonitate ejus. Præcedentes verò molestiæ si magnæ sunt, solam patientiam ægrotantis expostulant, à reliqua animi preparatione excusant. Quod si non magnæ, oportunitatem cedunt, & locum dant, quo possit parare se in occursum Dei sui. Et si quæ grandia hic deseruimus, majora illic expectamus. Quis scit si fortasse gratiam inveniam in oculis Dei post mortem, cui tam benignè pepercit peccanti, tam dulciter revocavit ab errore, tam ubertim subsidia contulit volenti reverti forsitan, & paternè recipiet revertentem?

In morte sunt plurima, non tam gravia perlatu, quàm terribilia auditu.

Quanta incommoda in longa senectute.

Hic autem diu manere multorum malorum timorem habet annexum. Primò quidem, quod certũ, est tibi effœta senectus, amicis molesta, fortassis & ignominiosa. Quis enim senectutis aut incommoda, aut errores & stultitias facilè enumeret? præsertim eorum, qui non bono more coaluerunt, sed in obscœnis & vanis duxerunt dies suos. Postremò quis scit, quæ

nostris, & patriæ mala impendent? Nam ante hoc triennium, quis filiam suam quantumlibet speciosam virginem in Colonia aut Nucia febribus sublatam planxisset? cujus turpissimam metuebat captivitatem.

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.

Christus latronem magistrũ ac ducem vitæ constituit. Latronis exemplum nobis imitandum.

Mirabilis manus Dei super nos. Primò quidem super prævaricatorem & omne semen ejus, grave jugum mortis imposuit. Secundò, super filium obedientem, & omnes obtemperantes, illi per mortem, vitæ poculum propinavit. Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Et reum mortis, facinorosum hominem ac sceleratum, magistrum ac ducem vitæ constituit. Nam quis non de sua salute speret & confidat, ubi viderit latronem confessione proprii reatus, professione integræ innocentiæ, postulantem sui memoriam habitum iri, per mortem mox migrasse ad regnum? Itaq; nos si confiteamur nostrum reatum, Christi innocentiam, & inde permoti, petamus ut nostri in regno suo meminerit, procul dubio credentes & confitentes etiam ipsi per mortem intrabimus ad paradysum, & sine flagellis mediis, sic non quasi per ignem: sed mox audiemus: Hodie mecum eris in paradyso.

Per Iesum mors janua vitæ facta est.

Per Jesum mors paradysi ad vitam janua facta est. Et hanc viam licet Jesus aperuerit, tamen latro ingressus, cæteris supplicii & reatus, complicibus omnibus nobis magister impetrationis, & dux itineris factus est. Docet quibus salvi fiamus: puta, si confiteamur nostram nequitiam, & redemptoris innocentiam. Docet item quomodo mox ad regnum transeamus: eisdem enim artibus nos quacunque hora pœnitentes, confitentes & confidentes transmigrabimus, quibus omni latrocinio progressus & blasphemia paulò minus finiens, tribus tantùm verbis de supplicio ad palatium commigravit.

Mors

Mors janua vitæ, ubi Christus ostiarius, & latro dux.

Quid verebitur Christianus? Dux ipse suo exemplo plenam fiduciam facit. Profectò admittet ostiarius, quos suo sanguine redemit, qui talem ducem non excludit.

Oratio ad beatum latronem.

Te ergo ô felix Latro, per manum bonam Dei super te, per misericordiam, quam invenisti in illa tua sera pœnitentia, esto mihi comes in illa extrema hora.

Latronis Theologia.

Quæ Theologia Latronis? Nam suam malitiam confessus, ex altera Christi innocentiam, Christi regnum, Christi miserationem, Christi deitatem. Fortassis sentit Dei in homines amorem.

Quam exigua cognitio atque intentio sufficiat credenti, pœnitenti, confidenti in morte ad securitatem salutis, tanta quanta vel ad baptisandum, vel ad consecrandum.

Cognitio & intentio quanta necessaria ad salutem.

Quàm magna spes hominibus bonæ, sed infirmæ voluntatis.

Non minus liberalis Deus ex se jam natis filiis ad donandum petentibus, quàm filiis iræ reverti volentibus. Igitur Christianus si affectu & intentione remissè ac frigidè postulet sapientiam & amorem Dei, quæ tamen sufficeret, vel ad consecrandum, vel ad baptisandum, constat, quoniam simili inter orandum affectione impetrabit. Sæpè namq; interioris hominis dispositio ejusmodi est, sive animi aspersione, sive tentatione, sive occupatione, ut non facilè ferventiorem affectum possit elicere. Cum multà igitur præsumptione confidenter orandum, confitendum, plangendum, laudandum, tametsi non semper extremè spiritus efferveat. Nam & sedatas affectiones audit Deus. Igitur & ille amor & illo gradu sufficit. Imò credere sufficit ad salutem: Confidere verò ad gratiam. Amare autem ad amplexum & gloriam.

Magna

Magna conſolatio noſtræ puſillanimitatis.

Magnam puſillanimitati fidelium conſolationem præſtare debet verbum illud ad Moyſen, *Exod. 7.* Educam exercitum meum, populum meum, filios Iſraël. Hic certo exercitus Dei, de quibus poſtea, quòd armati aſcenderunt filii Iſraël, tanquam ad grandem & ſtrenuam militiam conſcripti. De qua in Canticis: Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te. Et in eodem: Velut caſtrorum acies ordinata. Magna ſunt hæc præconia, ſi par ſit ſtrenuitas militum, & fida diligentia excubantium, ſedula vigilantium cuſtodia, ſtrenua pugnantium fortitudo. Sed iſta qualis in populo fuerit à principio, in progreſſu, in fine, ſi perſpiciamus, non caſtra, non militiam, non excubias, non certamen, nihil deniq; dignum Deo in populo illo inveniemus. Dux ipſe Moyſes octo vicibus trepidavit ſuſcipere ducatum, Aaron comes duci deſignatus, idololatriæ miniſter fuit. Maria ſoror eorum, cuſpide murmuris mulctata, caſtris excluſa. Univerſus ille populus miſſis ſpeculatoribus credulus, incredulus voci Dei, obduravit cor ſuum, exacerbans Dominum. Et poſtremò Moyſes ipſe non fidelis repertus ad aquas contradictionis. Hunc talem nihilominus populum dignatur Dominus Deus non ſolùm appellare, ſed & habere exercitum ſuum, non quia pugnantem habet, ſed quem oppugnatum protegit, cui oppugnato, Deus ipſe propugnat, ut verè dixerit Moyſes: Vos ſtabitis, & Dominus pugnabit pro vobis. Unde etiam Propheta: Non nobis Domine hujus victoriæ gloriam, non nobis, ſed tuo nomini da gloriam victoriæ: quaſi diceret: Nos, quòd ſalute coronamur, non ex noſtro certamine, ſed tua nobis propugnante fit gratia, ut dona tua corones in nobis, non merita noſtra. Quiſquis ergo infirmitatis & ignaviæ ſuæ conſcius, toto corde deſiderat non induci in tentationem: Quiſquis poſtulat à malo interioris hominis liberetur, gaudeat, tametſi non ſe legiti-

Dominus non noſtra merita, ſed ſua dona coronat.

gitimè certantem, aut ſtrenuè in agone contendentem inveniat, & ſecurus gaudeat, ſciens, quin verè de populo Dei eſt, licet non de præſtantioribus in populo, verè tamen de populo, verè de caſtris, verè de exercitu, verè miles, quamdiu corde non revertitur in Ægyptum: imò neque ſi propter laborem & tædium longiſſimi itineris retroſpiciet in Ægyptum, propterea deſinit eſſe miles Chriſti, quamdiu non repellit protegentem, & contemnit propugnantem ſibi Deum, ut pro nihilo habeat terram deſiderabilem, & detrahat ei terræ quæ fluit lacte & melle. Tunc enim iratus Dominus jurabit in ira ſua, non introituros eos in requiem. Non ſolùm enim qui tota mente cupit invitantem & vocantem Deum ſequi educentem, de populo Dei eſt, ſed omnis etiam qui vocantem, invitantem, educentem, non tota mente repellit. Quiſquis ergo audit, credit, deſiderat, vellet eſſe bonus & fidelis miles, etiam hoc ei ad militiam deputabitur, duntaxat non ſibi ſordibus ignaviæ ſuæ complaceat, quoniam illic iter ad obdurandum cor. Neq; dejiciant ſive conturbent crebra verba ſcripturæ, qualia ſunt: Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Et iterum: De omni verbo otioſo reddituri ſunt rationem. Hæc enim verba magis ſunt ſtricti juris & juſtitiæ, quæ deberet eſſe, niſi miſericordia ſinum ſuum laxaſſet & dilataſſet, quo omnis laus Deo, non nobis tribuatur. Nam ſi noſtris meritis juſtificaremur, debito nobis bravium daretur, & noſtra laus eſſet.

Consolatio nostra infirmitatis & pusillanimitatis.

Verba scripturæ quanta misericordia interpretanda.

De verbis Domini in Evangelio: Perfecti eſtote.

Tu dominator Domine præcipis, ut ſancti ſimus, quia tu ſanctus es, & perfecti ſimus ſicut tu Pater noſter cœleſtis perfectus es. Sed quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? niſi tu qui ſolus mundus es. Nónne tu Deus creaturam ſubjeciſti infirmitati, vanitati & vilitati, ne poſſit quiſquã venire ad te, niſi per te? Nemo enim venit ad Patrem,

nisi per filium, neq; ad filium quis venire potest, quem non pater traxerit. Nec potest quis dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Cur ergo tam formidabiliter præcipitur, quod cùm in nobis non fit, exitialiter obauditur, & mortaliter contemnitur? Nisi quia præcepit, cùm justus sit, non obruere destinavit imbecillem infirmitatem, sed insuper cùm pater sit, & pater misericordiarum, licet occultam, certam tamen spem suggerit in mandatis. Quid enim cùm præcepit, mundos, perfectos, sanctos, ac Deo dignos esse, aliud advertenti, & fideliter advertenti dixisse videtur, quàm ut volenti parere virtutem promiserit omnia, & si non in hac ærumnosa & miserabili vita, tamen aliquando in terra viventium omnia ad integrum complenda felicia illa mandata. Illic enim implebit non fidelis servus, non beatus filius, sed omnipotens Pater in beato filio, ut fidelis servus ingrediens in gaudium Domini sui, Dominũ Deum suum ex toto corde, tota anima, tota fortitudine, totis viribus diligat, amet, laudet, glorificet, benedicat perfectus illic & sanctus, ut sit Deo suo dignus filius. Promissiones ergo potius sunt quàm mandata.

Quòd semper manemus peccatores, & quo modo oporteat semper orare.

Infirmitas spiritualis peccatum est, quia præcipimur, ut fortes in fide resistamus leoni circumeunti, rugienti, quærenti devorare, præcipimur ergo fortiores esse in prælio in bonum, quàm sit ille oppugnator in malum. Quia præcipimur victores esse in prælio, qualecunque Deus voluerit nobis suscitare: bellum enim sempiternum omnibus in carne constituit: prælium autem paroxismale & horarium. Omnis autem infirmitas, quemadmodum stultitia, ignorantia, insipientia, peccatum est, quia per hæc inermis pugna constituitur. Hinc aliquatenus illucescit, quare oportet semper orare, & non deficere, vigilare, sobrios, fortes, in fide resistentes. Sed qui infirmiter orat, qui infirmiter sobrius est, qui infirmiter leoni resistit, manifestè decidit

dit à necessario mandato, quo præcipimur oportere semper orare, & oportere non deficere. Peccatores igitur omnes infirmi & parvuli. Sed magnæ consolationis verbum, oportet semper orare: quid hoc aliud, quàm oportet semper in sordibus manere, licet oremus? quia non ita oramus, nec ita possumus orare, quo perfectè exaudiamur. Misericorditer igitur sordes istas imperfectionis perfert in nobis Pater, quibus tollendis vult ut oremus: Tollet autem quando volet, & orantibus non ablatas non imputabit.

DE CAUSIS MYSTERIIS, ET EFFECTIBUS DOMINICÆ INCARNATIONIS ET PASSIONIS.

Cur Deus homo factus?

CUR Deus homo? Nisi ut sanctum illud & spectabile corpus, videlicet universa Ecclesia triumphantium beatorum non esset trunca, sed gauderet suo legitimo capite. Ad Ephes. Qui est caput super omnem Ecclesiam. Et ad Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ. De Ecclesia triumphante: ad Col. 2. Qui est caput omnis principatus.

Dominus Iesus caput est Ecclesia triumphantis.

Cur Deus homo? Ut structura sacri templi haberet lapidem angularem, in quo uterq; paries omnium & angelorum convenirent & fundaretur. De primo, *Psal. 117.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et allegatur à B. Stephano, in Actis Apostolorum, qui dicit, ædificantes Judæos. De secundo, *ad Corinth. 3.* Fundamentum aliud nemo potest, &c. Item, *1. ad Cor. 10.* Petra autem erat Christus.

Dominus Iesus lapis angularis & fundamentum.

Cur Deus homo? Ut haberet omnis creatura mediatorem communem Deo & creaturæ. Ad *Galat. 3.* Donec veniret

Dominus Iesus mediator omnis

creatura ad Deum patrem.

ſemen qui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris: mediator autem unius non eſt, Deus autem unus eſt.

Dominus Ieſus Rex univerſæ militiæ Dei.

Cur Deus homo? Ut haberet univerſa militia Dei, & omnis populus Dei regem ſuum, *Luc.10.* Et regnabit in domo Jacob in æternum, *Apocal.19.* Habens in diademate & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, Dominus dominantium.

Dominus Ieſus doctor ſcholæ Dei.

Cur Deus homo? Ut haberet ſchola Dei doctorem ſuum: *Ioël.2.* Et filiæ Sion exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis doctorem juſtitiæ.

Dominus Ieſus templum eſt civitatis Hieruſalem.

Cur Deus homo? Ut haberet civitas Hieruſalem templum ſuum, *Apoc.21.* Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & agnus.

Dominus Ieſus ſummus Sacerdos Hieruſalem.

Cur Deus homo? Ut templum cœleſtis Hieruſalem haberet ſummum Sacerdotem, *Pſal.110.* Tu es Sacerdos in æternum. Et allegatur ad Hebræos.

Idem hoſtia ſacrificantium.

Cur Deus homo? Ut haberent omnes in templo ſacrificantes hoſtiam ſuam, *ad Hebr.* Si enim ſanguis hircorum aut vitulorum, quantò magis ſanguis Chriſti emundabit?

Dominus Ieſus communis omnium paſtor.

Cur Deus homo? Ut haberent omnes oves paſcuæ ejus ſuum communem paſtorem, *Iohan.10.* Ego ſum paſtor bonus. Reliquit nonaginta novem oves ſuas in montibus abiens quærere unam quæ aberraverat. Communis ergo omnium paſtor, huic & illis deſtinatus & prædeſtinatus fuerat, ſicut ante prævisus, & inviſus Lucifero agnum perſequenti.

Dominus Ieſus primogenitus omnis creaturæ.

Cur Deus homo? Ut haberent omnes filii Dei, & omnis creatura primogenitum fratrem, *Paulus:* Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.

SE-

SEQUUNTUR JAM CLARISSIMI DOCTORIS M. WESSELI GRONINGENSIS,

de dignitate agni, & causis Dominicę incarnationis, Propositiones eruditissimæ.

1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*
2. *In creato cœlo creavit Deus mox cœli incolas spiritus.*
3. *Spiritus illi qui meri spiritus, ideò mox.*
4. *In latitudine mentis, in latitudine & profunditate intellectus.*
5. *Noverunt igitur se non fuisse, antequam essent.*
6. *Noverunt se cœpisse.*
7. *Noverunt se non esse, à se.*
8. *Noverunt se sublimes creaturas.*
9. *Noverunt creatorem suum sublimem valde, & omnipotentem.*
10. *Noverunt conditorem eorum, verba & arbitria eorum condere.*

*. *Noverunt igitur verbo & arbitrio omnipotentem.*

12. *Noverunt sese ministros debitos, & in ministerium omnipotentis conditos.*
13. *Ministerium eorum videndo, æstimando, amando, perfrui ejus voluntate.*
14. *Non omnes pari celsitudine & acumine intelligentiæ conditi sunt.*
15. *Non omnes æqualiter agnitæ veritati adhæserunt.*
16. *Et si omnes adhæsissent, omnes cum Deo unus spiritus fuissent.*
17. *Si omnes cum Deo unus spiritus fuissent, beatam societatem constituissent.*
18. *Beata societas non nisi singulis beatis constituitur.*

19. *Beata illa societas, non fuisset civitas perfecta.*
20. *Beata illa civitas destinata fuit, ut esset regnum perfectum.*
21. *Si omnes perstitissent, nullus eorum fuisset rex perfectus.*
22. *Absq; perfecto rege, nullum regnum perfectum.*
23. *Perfectum regnum, perfectæ nuptiæ, pari passu judicantur.*
24. *Seraphin, Cherubin, throni beatiores.*
25. *Angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, beati fuerunt.*
26. *Omnes una in idipsum participantes, lætam & beatam civitatem ædificabant.*
27. *Est beatitudo quædam copiosa & opulenta, quædam perfecta & ultima.*
28. *Priusquàm adhærerent agnitæ veritati, veritatem ipsam agnoverunt.*
29. *Agnitio veritatis constituit eos viatores.*
30. *Non fuerunt facti comprehensores, nisi mundo, perfecto corde Deo adhærentes.*
31. *Perfecta munditia cordis non facit comprehensores.*
32. *In veritatibus viæ cognoverunt beatam illam civitatem quandoq; perfectum regnum fore.*
33. *Cognoverunt igitur dignum aliquem regem fore.*
34. *Vidit Lucifer hunc dignum regem supra se futurum, & invidit, dentibus fremuit.*
35. *Lucifer si non invidisset huic regi, non tamen fuisset ipse rex illius regni.*
36. *Ad hoc regnum, nullus beatorum illorum præstantium spirituum dignus rex.*
37. *Viderunt Cherubin & Seraphin etiam viatores, librum signatum septem sigillis.*
38. *Viderunt aliquando signacula solvenda, viderunt aliquando librum eis legendum.*

39. *Postea facti comprehensores, viderunt adhuc signatum & clausum librum.*

40. *Sciebant signatum librum arcanis magnis, & sua beatitudine superioribus conscriptum.*

41. *Sciebant hunc librum quandoq; suis desideriis aperiendum & contuendum.*

42. *Hic liber desiderium collium æternorum, beatorum videlicet spirituum.*

43. *Hic liber desideratus cunctis gentibus, illorum collium instar angelis.*

44. *Ad hunc librum aperiendum, beatis illis collibus, nullus in cælo dignior, etiamsi omnes perstitissent.*

45. *Liber signatus, non frustrà scriptus intus, non frustrà desideratus, liber non aperiendus ab indigno.*

46. *Thesaurus libri illius, ditior Cherubin & Seraphin.*

47. *Liber iste, fons de medio paradisi ascensurus.*

48. *Liber iste quandoq; aperiendus, desiderio beatorum collium æternorum.*

49. *Prærogativa igitur aperiendi libri, reservabatur à principio cuidam digniori.*

50. *Solus agnus dignus aperire librum, & solvere signacula.*

51. *Solus agnus liber signatus, & scriptus intus & foris.*

52. *Liber signatus, scriptus intus, plenitudo divitiarum thesaurorum sapientiæ & gloriæ, & charitatis Dei in Christo.*

53. *Hæc plenitudo thesaurorum, nulli nisi agno reservata.*

54. *Non angelos, non homines, Deus Verbum apprehendit, sed agnum.*

55. *Omnis plenitudo, magnitudo, altitudo divitiarũ agni creata, similitudo Dei est.*

56. *Similitudo Dei in agno, summum exemplar est omnibus incolis beatæ Hierusalem.*

57. Ex-

57. *Exemplar in monte domus Dei, in vertice montium monstratum, locupletius est omnibus.*
58. *Plenitudo divitiarum sapientiæ, gloriæ & charitatis in agno, secundus fons omnibus lignis paradisi.*
59. *Quamdiu beati non hoc fonte rigabantur, non erat eorum beatitudo perfecta.*
60. *Hoc irriguũ permissum eis, etiam videntibus faciem patris.*
61. *Hoc irriguum non datum eis, nisi agno glorificato.*
62. *Multa & grandissima promissa sanctis hominibus & angelis beatis, quæ non mox acceperunt.*
63. *Quod nõ mox acceperunt dilatum, Deo melius aliquid providente pro nobis.*
64. *Omnes reliquæ regni divitiæ, non possunt cum divitiis agni ex æquo comparari.*
65. *Omnia in sapientia fecit Dominus, ergo omnia propter seipsum fecit altissimus.*
66. *Agnũ & agni divitias, propter semetipsum fecit Dominus.*
67. *Sapiens non facit magis bonum propter minus bonum, licet magis minori conferat.*
68. *Sapienti conditori, minus bona, propter magis bona semper ordinantur.*
69. *Magis igitur totum regnum agni, propter agnum, quàm agnus propter regnum.*
70. *Salus, perfectio, decus regni, regno per agnum provenerunt, sed non finaliter propter hæc agnus.*
71. *Agni præstantia, major & sublimior toto reliquo regno.*
72. *Quod si alterum duorũ perdi oporteret, regnum aut regem, ante Deus omnem reliquam creaturam, quàm agnum annihilaret.*
73. *Plus assumptam illam carnem Deus verbum assumens dilexit, quàm universam creaturam.*

74. Quod

74. *Quod si plus illam diligit, plus illam intendit.*
75. *Plus agni beatitudinem, quàm omnium reliquorum hominum & spirituum Deus intendit.*
76. *Primum & primitias omnis creaturæ, Deus destinavit & intendit agnum.*
77. *Agnum hominem fore destinavit.*
78. *Agnum regem beatæ civitatis destinavit.*
79. *Hominem agnum regem, homines regnicolas habere congruebat.*
80. *Promissum habebat agnus à patre, postulanti sibi, dando homines hæreditatem.*
81. *Si neque angelus, neque homo cecidisset, æquè agnus eis beatus regnasset.*
82. *Verè tamen propter nos homines, & propter nostram salutem de cœlo descendit.*
83. *Verè homo factus est propter nostram salutem, passus, mortuus, sepultus est.*
84. *Non penitus, non prorsus, propter nostram salutem, homo factus est.*
85. *Prorsus propter nostram salutem, passus, mortuus, sepultus est, hostia & victima factus.*
86. *Non prorsus propter curandos nos à perditione, sacrificium, holocaustum incensum, factus est.*
87. *Suæ charitatis impetu raptus in Deum, incendebatur illa sanctissima anima.*
88. *Plus Deo, ac sibi vivebat in Deum, quàm salvandis omnibus nobis.*

Quòd per solum nomen Jesu est via ad salutem, & quòd eo nomine dignificamur ad susceptionem totius Trinitatis.

NOn est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Ita neque alia via ad salutem consequen-

dam, quàm Jesus. Liquet quantum expedit crebro in ejus meditatione exerceri, ut in nomine ejus salvi fiamus. Nomen enim Jesus nihil aliud est, quàm cum pietate creata notitia Jesu. De quo valdè notandum, quod pater in nomine Jesu mittit paracletum, ut ibi: Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Tantam enim largitatem Deus de seipso facit, imò tantum amat in nobis incarnati verbi agnitionem & fidem, ut ubicunque in rationali mente, verbi carnis facti pia agnitio fuerit, mox illi menti spiritum suum infundet: neq; solum spiritum suum Deus donat, sed & filius Dei in medio est, si in nomine Jesu duo fuerint congregati. Quibus non propterea quia congregati sunt, in medio est, sed propter nomē Jesu. Nomen ergo Jesus paracletum & filium, neq; solos hos, quoniam quo filius ingreditur, unà & pater venit, ac tota simul Trinitas illic mansionem facit. Compendiosum ergo & brevissimum iter & inter nos & Deum, dulcis & pia meditatio de Domino Jesu, quoniam verè pater, salvator & paracletus, felici comitatu, ad eum veniunt, & mansionem faciunt.

Quid sit nomen Iesu.

Quomodo tota Trinitas adest congregatis in nomine Iesu.

Quis jam civis beatæ illius & sanctæ civitatis Hierusalem non votivis hominem illum gaudiis inviset, quem sui regis tam dignanter conspicit honoratum hospitio? Non mirum, si pater filium inviset & visitet, qui potestatem dedit filios Dei fieri omnibus credentibus in nomine Verbi caro facti habitantis in eis, pleni gratia, scientia, judicio & justitia. Nemo enim potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Dicere autem quia Dominus Jesus est, per creatam in corde ejus notitiam fit. Et exit verbum hoc de corde dicentis, mundans omnem præcedentem sordem inquinantem. Omnis enim qui natus est ex Deo, non peccat: quia generatio cœlestis conservat illum. Omnis autem filius Dei natus est ex Deo. Filius Dei est omnis qui credit in nomine ejus. Credit autem in nomine ejus, qui-

Natus ex Deo non peccat.

cunq;

cunq; piè credit, quia Verbum caro factum est, plenum gratia, sapientia, gloria & justitia. Et per hoc sacrum velut seminarium & fidele pignus habitat idem Verbum in eis, promissionem habentibus, quoniam videbunt incarnati verbi gloriam in se. Qui ergo verbum recogitat, carnem factum credens, & si verbi majestate terreatur, quia tamen caro factum est, & humana caro, ut sit filius hominis & homo, ideò sub lege factus, ut & ipse mandatum acceperit proximi diligendi, tanta ei fiducia mox nimirum oritur, ut facilè prioris terroris obliviscatur. Quis enim nesciat pauperum, si diviti, potenti, humano, liberali, misericordi viro vicinius habitet, quanta illi exinde suarum necessitudinum relaxandarum fiducia sit. Nos Domino Jesu proximi sumus, nos ergo debet diligere, debet ex mandato legis, & diligit nos verè tanquam seipsum. Et quia ipse plenus gratiæ, sapientiæ, gloriæ & charitatis: ideò in omni plenitudine ubertatis diligit nos.

Dominus Iesus debet nos diligere, & diligit sicut seipsum.

De vita & passione Domini commemoranda, qua vita nostra temporalis posita inter duas nobiles vitas nobilitatur & perficitur.

Exilis & tenuis res quędam, velut vapor ad modicum parens, arida, sterilis, ignobilis & vilis est vita nostra hæc momentanea, nisi quantum inter duas vitas magnas, nobiles & præclaras, velut inter medios cleros constituta nobilitatur, quibus nisi eas meditando, æstimando, desiderando, nobilitari & perfici non potest. Harum duarum vitarum participatione vita nostra nobilitatur, si est desiderium unius promissæ in expectatione vitæ scilicet beatæ, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio in idipsum, quia omnes fines ejus pax, & adeps frumenti satietas ejus. Alterius promissæ in exemplo vitæ, scilicet magistri, Regis nostri, Prophetæ & Sacerdotis nostri. Et quantum de secunda vita participat vita nostra, tantum (in exilio & peregrè

posita, imò in morte posita vita nostra) tantum, inquam, vivificatur, tantumq; in illa civitate beatificatur. Nihil enim ita efficax ad commutandas mentes hominum in bonum, sicut pium exercitium in Dominica vita & passione: quoniã semper præsentem habet eum, sibi natum, sibi datum, missum, mandatum, traditum, derelictum, abjectum, conculcatum, contritum, propter se, in quo omnis plenitudo divinæ virtutis, divinæ artis, divinæ ubertatis corporaliter inhabitat. Quid non ab illo speretur, si piè petitur, qui monet, docet, hortatur ad petendum, & magis donando gaudet, quàm nos accipiendo? Et sicut nihil efficaciùs, nihil fœcundiùs nobis, ita nihil gratiùs vel placidiùs tractare possumus. Hoc enim & Cherubin & Seraphin retribuunt Domino, juxta Prophetæ sententiam, pro omnibus quæ retribuit nobis Dominus. Non ergo pro sola venia, sed pro gratia, & pro gloria, quia pro omnibus quæ retribuit nobis Deus, hoc unum retribuere possumus, ut calicem salutaris accipiamus. Vita deniq; Domini nostri Jesu Christi, nobis est arcus fœderis, scala Jacob de cœlo ad terram, agnus phasæ, columna nubis & ignis, manna, exemplar sancti ædificii in monte monstratum, & inter serpentum ignitorum morsus, serpens æneus elevatus super lignum. Ad hunc serpentem respiciens, quocunq; serpentis veneno percussus, illæsus mox reperitur & vivus. Inter ignitos serpentes & scorpiones, vita hæc nostra constituta, si crebro serpentem illum æneum consideratè meditetur, meditatum dijudicet & ęstimet, si meditatum & ęstimatum amet, jam inter ignita sibila securus dormit. Quia vita Jesu magna coram Domino & sancta, datur ei, quantum considerando, æstimando, amando, adhæreret. Nec est alia via ad promissam illam patriam, nisi hujus columnæ nubis & ignis ducatu, per desertam & inviam solitudinem. Ipse enim solus, via, veritas & vita. Vita dico nostra, hic in justificando credentes, quia suam vitam

Exercitium passionis Christi efficacissimũ.

Hujusmodi exercitio nihil nobis fœcundiùs, nihil Deo gratiùs.

Dominus Iesus via, veritas & vita nostra.

tam

tam donat illis, qui credunt in illum. Et promissa etiam vita erit pervenientibus beato actu Hierarchio regni sui & sacerdotii. Sed ultima vita in se verbo per beatam visionem, ut sit ipse finis qui principium.

Ego sum via, veritas & vita, Iohan. 14.

Advertamus attentè, dicit Dominus Jesus: Ego. Quis ille ego? Nempe ego, Verbum æternum, necessarium, meipso subsistens, prima primi verbi vita, vivens in me, propter vos factum caro. Et licet quemadmodum à verbo ad cuncta condita, subsistendi sit exitus, ita & beatè cognoscendi transitus beatis omnibus, ut in viso Deo, vidente, dictante, volente omnia, longè beatius omnia cognoscant, quàm intuitivè videntes res in semetipsis. Quia tamen ab hac in verbo notitia longè delapsi estis à vita, non patet ad hanc sublimem vitam reditus, nisi per carnem sublimatã super omnem reliquam creaturam. Et ad sublimatam carnem non datur aditus, nisi per sanctam carnem. Ad sanctam autem carnem, nullus aditus, nisi per humiliatam, conculcatã, abjectam, derelictam & maledictam carnem. Quia nemo ascendit in cœlũ, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Quid enim est quòd ascendit, nisi quia primum descendit in inferiores partes terræ? Ipse ergo qui descendit, ipse est & qui ascendit. Et quia ipse pro omnibus maledictum factus est, & derelictus, & abjectio plebis, conculcatus ab hominibus, humiliatus à Deo, & percussus pro nobis: per eum percussum, humiliatum, conculcatum, abjectum, derelictum, & pro nobis ad hæc maledictum factum, regressus nobis factus & apertus est in carnẽ sanctam. Ecce quomodo verè via est, per veritatem sanctitatis ad vitam beatã ducens. Et præterea quomodo veritas, in vera afflictione, vera sanctitate, vera felicitate. Præterea quomodo vita immaculata in afflictione, quomodo vi-

Dominus Iesus via est ad vitam.

Dominus Iesus verè via, veritas & vita.

do vita pretiosa in sanctitate. De vita verò in felicitate, quæ finis & fructus vitæ est non opus monuisse.

QUOMODO JUGITER ASPICERE DEBEAMUS CHRISTUM PRO NOBIS CRUcifixum, & exaltatum à terra, quatenus sic se ad nos trahat, & accedat homo ad cor altum.

1. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Iohan. 12.*
2. *Moyses exaltavit serpentem, Iudæi exaltaverunt filium hominis.*
3. *Et Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen super omne nomen.*
4. *Et exaltavit eum homo, accedens ad cor altum, quo exaltetur Deus.*

Quomodo accedatur ad cor altum.

5. *Verè altum cor, in quo merè sublimiter de Deo sentitur, quoniam ille elevatum signum in monte, cui à multis contradicitur.*
6. *Ibi ceciderunt, & in imo manent, quicunque non excelso animo ad illum amandum solum, aut saltem super omnia accinguntur.*
7. *Ab illo signo non avertendi oculi, quia semper debet ad illum flagrare cor nostrum, ut ubi fuerit thesaurus, illic sit & cor nostrum: Et ubi amor noster, illic & oculus noster.*
8. *Profectò thesaurus noster super omnia est exaltatus: sed quamdiu super omnia eum non amaverimus, non est exaltatum nomen ejus in nobis super omnia.*
9. *Nomē enim ejus in nobis tantò est inferius depressum, quantò aliquid, vel præ illo, vel cum illo, aut etiam post illum, non propter illum amamus.*

10. Et

10. Et quamdiu non ita verè, merè, sincerè exaltatum est nomen illius solius, tamdiu polluta domus Dei, super quam invocatum est nomen ejus.

11. Et tantò minus sanctificatur nomen ejus in ea, adeò, ut Baal de cane & suillo sacrificet, & domus sanctificationis nostræ vertatur in prostibulum, aut volutabrum abominationis.

12. In templo enim velut in loco orationis Dei, quæcunque sunt, non prophana, non superstitiosa, non corrupta religione, sed religiosa esse debent cum analogia divini nominis.

13. Vnde qua ratione fuerunt in templo Salomonis, thimiama & incensum, eadem boves & arietes, oves & columbæ, videlicet ut sacrificarentur & immolarentur Deo in usu hostiæ, victimæ, primitiarum, sacrificiorũ, aut holocaustorum.

14. Stabulum ergo & forum, à templo Dei, fine differebant.

15. Et quisquis non hoc fine res istas illic tractabat, prophanus & superstitiosus erat, & in religione corruptus.

16. Vnde justissima severitate per zelatorem domus Dei à domo Dei ejiciuntur omnes vendentes hæc.

17. Vendunt autem omnes, qui de sacrificiis Deo offerendis, velut de suo, sacrilegium faciunt, quolibet alio fine, quàm purè Deo quæsito.

Sacrilegium qui committant.

18. Quisquis igitur in quocunque loco dominationis divinæ, in quocunque actu suo, in quocunque tempore, sive seorsum sibi, sive communicando fratribus, quod in honorem Dei debet, alia voluptatis aut vanitatis intentione, velut suum facit, & turpi sacrilegio vendit, irrefragabili severitate divini flagelli à templo ejicitur, quoniam in templo Dei esse non licet, quæ non in templo Deo gloriam dicunt.

Qui è templo Dei ejiciantur.

19. Qui verò carnis voluptate pro fine potiuntur, hi in torrentes sulphuris & picis projiciuntur. Et qui vanitate hos spiritus tempestatum, fulgura, & coruscationes excipient. Caro enim

enim moritur, & velut aqua dilabitur. Dilabitur præceps & hic mundus, velut vapor ad modicum parens.

20. *Si autem accedit homo ad cor altum, exaltabitur Deus in corde ejus.*

21. *Exaltato igitur corde, ad altum Deum acceditur, nec ad altum, nisi alto corde, acceditur.*

22. *Vnde Magdalena vetita tangere, quia nondum in corde ejus erat exaltatum Verbum caro factum. Licet enim integro corde pendebat ex eo, & adeò pendebat, ut integrè parata & prompta esset credere, quicquid ille diceret, & prompta facere præcepta quæ præcepisset: quia tamen de verbi incarnati divinitate, nondum ad cor altum accesserat, ut verè exaltatum esset Deus verbi in corde ejus æqualiter cum Patre, ideò non adhuc digno interiori osculo, sed impuro pro tanto osculabatur. Et edocta intus veritatem, consubstantialis deitatis confessa ore ad os, integrum interius osculum accepit: quia tunc exaltatus Iesus, illam & omnia ejus traxit ad se, qui ante descendit ad illam. Est autem in accessu ad Deum exordium, Evangelium, deinde colloquiũ, postea commercium. Post hæc sunt desiderium, exercitium: inde consilium, remedium, negotium: deinde mandatum, magisterium, officium: post hæc judicium, flagellum, studium. Deinde convivium, osculum, conjugium.*

DE PRÆLIO AGNI CUM DRACONE, DE MAGNITUDINE ET AMARITUDINE Dominicæ passionis, propositiones.

Agni & draconis prælium.

1. *Mitissimum omnium animantium agnus.*

2. *Sævissimum, vel lividissimum omnium animantium vastus draco.*

3. Du-

3. *Durissima necessitas, ubi cum dracone cogitur agnus decertare.*
4. *Paterno mandato necessitatis agnus cum dracone vastissimo præliatur.*
5. *Omnibus agnum nuptialiter amantibus acerbissimum ejus prælii cum dracone spectaculum.*
6. *Ejus prælii spectaculum clarum non est apud homines, in lumine lucernæ possibile.*
7. *Si ad lumen orientis Luciferi, magnitudo prælii clarè innotescit, non ausim diffinire.*
8. *Certum est quòd ad lumen aspirantis diei ad lumen rutilantis auroræ, ante ortum solem, clarissimo spectaculo & amarissimo conspectu.*
9. *Extremi & capitales inimici, agnus & draco, in creaturis.*
10. *Acerrimo zelo & odio, Deum draco primum exodit.*
11. *Post Deum nihil ita odivit, ut draco agnum.*
12. *Nulla tanta creata charitas in Deum, ut primogenita charitas agni.*
13. *Major charitas agni in Deum, quàm tota reliqua totius creaturæ sanctæ atq; beatæ. Deus pater mandatum dedit agno pro gloria Dei præliari cum dracone.*
14. *Mandatum hoc Deus tota Trinitas agno sic limitavit, ut solis legibus, moribus & armis agni, cum dracone præliaretur.*
15. *Mores agni tremere, pavere, formidare, contristari, angustiari, desolari, usq; ad mortem perferre carnificem.*
16. *Leges agni & arma, obedientia, patientia, humilitas, charitas, mansuetudo, parata promptitudo.*
17. *Arma draconis crudelitas, nequitia, sævities, malitia, & summa naturalis potentia, nisi prohibeatur.*
18. *Magnus agnus, qui idem dominator Dominus.*

19. *Dominator Dominus, etiam draconis Dominus, prælium agninis legibus, & armis transigendum suscepit.*
20. *In illo prælio, perfectè agnus cum dracone præliatus est.*
21. *In illo ergo prælio draco omnē nequitiam, omnem malitiam perfectè secundum omnem naturalem suam potentiam effudit.*
22. *Draconi licet nequissimo & lividissimo, totis naturalibus viribus in agnum ruenti, per omnia Deus cooperatus est.*
23. *Impossibile quicquam à quoquam, nisi cooperante Deo, fieri.*
24. *Draconi cooperans Deus, agnum percussit.*
25. *Et propter hoc ab Esaia percussus à Deo dicitur.*
26. *Ita quòd non tam à dracone, quàm à Deo percussus & humiliatus est agnus.*
27. *Agnum in illo prælio Deus dereliquit in finem, & agnus exinanivit, & abnegavit se prorsus in finem.*
28. *Agnum Deus dereliquit in illo prælio, ut pateretur in finem.*
29. *Non dereliquit ut vinceretur vel in minimo.*
30. *Lex data agno, vincere patientia, & prorsus vincere truculentiam draconis.*
31. *In illo prælio solis legibus & armis agni, truculentissimus draco perfectè victus est.*
32. *Si prorsus pugnans draco, & perfectè victus ab agno, ergo totus in agnum desævit.*
33. *Si draco in agnum desævit, igitur perfectè solutus & expeditus pugnavit cum agno.*
34. *Magnitudinem prælii illius nemo potest intelligere, qui non soluti draconis nequitiam & malitiam cognovit.*
35. *Hora prælii illius erat potestas tenebrarum.*
36. *Si perfectè solutus draco pugnavit, igitur omnibus naturalibus facultatibus improhibitus, potens & validus fuit.*
37. *Naturali facultate & ordine, spiritus omnis naturaliter potest*

test in omnes passiones animæ, quando suæ facultati liberè permittitur.

38. *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum, juratum testatorem daret mundo.*

39. *Vnigenitum filium Dei, juratum testatorem, oportuit fieri angelum testamenti, & ministrum N. Testamenti, non angelos, sed semen Abrahæ apprehendentem.*

40. *Testamentum nondum valet, quamdiu non mortuus est qui testatus est.*

41. *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum faceret semen Abrahæ primogenitum omnis creaturæ.*

42. *Sic Deus dilexit mundum, ut agno dominatori primogenito omnium filiorum Dei non parceret.*

43. *Sic Deus dilexit mundum, quòd agnum duri prælii necessitate obligavit.*

44. *Sic Deus dilexit mundum, quod ad leges agnini prælii filium Dominum obligavit. Sic primogenitus omnis creaturæ, caro scilicet assumpta à Verbo, Patrem dilexit ut prælium soluti draconis, agninis tantùm legibus susciperet præliandum, & ad leges agni, prælium cum dracone subiret. Vt sciat (inquiens) mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.*

45. *Vehementissimas itaq; truculentissimus draco passiones in animam agni concitavit.*

46. *Omne igitur genus acerbissimi doloris, pavoris, tædii, mœroris, tristitiæ, agoniæ, turbationis, desolationis, pusillanimitatis, iracundiæ, indignationis, & amaritudinis in eam concitavit.*

47. *Quia si nullo retinente solutus naturalibus omnibus in plena facultate super carnem agni usus est.*

48. *Qui potuit in momento omnia regna mundi, & omnem gloriam eorum ostendere, ut pelliceret.*

49. *Quid congressum, credendum est effudisse in derelictum, & oblivioni traditum, ut dejiceret ac devoraret.*

50. *Non solus draco certavit cum agno, sed universa simul cohors tenebrarum Deum odientium & agnum, ita quòd unà cum dracone omnes angeli ejus, simul agnum oppugnaverint.*

51. *Draco sic victus est in illo certamine, cum universa cohorte potestatis tenebrarum, ut suo ipsius judicio evidenter & clarè sese victum sciat.*

52. *Nisi suo proprio judicio draco sese victum sciret, non esset perfectè obstructum os loquentium iniqua.*

53. *Et quoniam perfectè obstructum est os loquentium iniqua, necesse non solùm draconem legibus & moribus & armis agni, sed & omnes angelos ejus perfectè victos, quibus omnibus præliantibus, mitis agnus in latitudine mentis intelligentiæ & voluntatis expositus.*

54. *Et cum omni illorum insania, nequitia, malitia, integris agni legibus agnus pugnavit.*

55. *Hinc jam clarè patet, quomodo agnus per omnia pro similitudine fratrum per omnes immissiones malorum angelorum tentatus est absq; peccato.*

56. *Passiones & immissiones quantæcunq;, qualescunq; per angelos malos, non sunt peccata, absq; voluntatis consensu, sed virtutis & victoriæ materia.*

57. *Mortali homini, ista passionum magnitudo, & multitudo incomprehensibilis. In omni hac passionum magnitudine & multitudine, confirmatum cor agni ne commoveretur.*

58. *Agnus vicit, agnus trophæa statuit: ut omne genu infernorum agno in æternum flectatur, & in æternum agnus triumphat, calcans colla superborum, & veritate confitentur coacti, ab agno se victos.*

59. *Et agni triumphum angeli canunt, dicentes: Domine fortis & potens,*

potens, Dominus potens in prælio, ipse introibit rex gloriæ.

60. *Et clarissimè novit draco per omnia sese victum.*

61. *Hæc victoriæ evidentia draconi quanto timebat & invidebat eatenus eidem velut ignis in oculis ejus.*

62. *Secunda igitur draconi miseria est clara evidentia hujus victoriæ.*

63. *Velit nolit draco, omne genu etiam infernorum curvatur in nomine Iesu, per hujus victoriæ claram apud inferos evidentiam.*

64. *Nulla major miseria, quàm semper clarissimè videre quod semper nolis.*

65. *Maxima & prima miseria draconi, evidenter scire, quoniam Deus æterno beatus in seipso est.*

66. *Secunda itaq; ejus miseria, videre etiam in seipso & in omnibus, quoniam dedit agno victori nomen super omne nomen.*

67. *Tertia ejus miseria, quod ipse draco cum omni cohorte tenebrarum, hanc agno coronam fabricavit.*

68. *A primo instanti conceptionis in utero matris, novit agnus hoc ingens prælium suis humeris impositum.*

69. *Propter hunc tam amarum calicem, tam acerbum baptismum necessariò habendum & baptisandum.*

70. *Agnus incomprehensibiliter nobis coartabatur per totam vitam suam: hujus coartationis & angoris mensuram, aliqualiter insinuavit, quando dixit: Baptismo habeo baptisari, & quomodo coartor donec consumem illum.*

71. *Clarius aliquantò significat, quando cœpit in horto pavere & tædere.*

72. *Magis autem expressit, quando dixit, animam suam tristem esse usq; ad mortem.*

73. *Amplius adhuc, quando ex agonia sanguinem sudavit, quia talis agonia nullum unquam coartavit.*

74. *Adhuc magis, quando dixit: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?*

75. *Omnium autem maximè quando dixit ei plenissimè: Animam meam nemo tollet à me.*

76. *Quia nulla tanta potestas tenebrarum, quantumcunque soluta, obruere poterat agnum, ut occideret.*

77. *Ipse qui habebat potestatem ponendi animam suam, non erat positurus eam nisi summo summi Sacerdotis perfectè consummato pacifico sacrificio, holocausto incenso.*

78. *Non simile de militia & sacrificio cæterorum sanctorum, quia non sic prorsus derelicti à Deo.*

79. *Neque patres & reliqui sancti mentis latitudinem habuerunt, quia non omnium rerum intuitivam notitiam, ut agnus, habuerunt.*

80. *Christo non ad mensuram spiritus datus est.*

81. *Christo secundum mensuram & plenitudinem dati spiritus à patre præceptum digni sacerdotii & sacrificii secundum perfectionem omnem legalium sacrificiorum.*

82. *Oportuit summum sacerdotem, summa fortitudine indui, priusquàm summo indueretur decore.*

83. *Per omnia igitur genera, Christi oblatio fuit suavissimi odoris.*

84. *Suavissimus odor hic, judicium, æstimatio, acceptio, in oculis Dei & admiratio omnium sanctorum & beatorum.*

85. *Sacerdotium thronorum, Cherubin & Seraphin, & virginis matris, Christi sacerdotio sanctificatius & perfectius factum.*

86. *Igitur illorum incensum, incenso Christi longè redolentiùs factum & consummatum. Placuit Deo per crucem, hoc est, per sacerdotium & sacrificium instaurare omnia quæ sunt in cælo & in terra.*

87. *Christus, ut intraret in perfectam gloriam suam, gloriam dico perfecti triumphi sui, perfecta fortitudine præliatus est.*

88. Chri-

88. *Christus ut perfecte reconciliaret exules in iram projectas, oportuit ut perfecte divinam justitiam pacaret.*

89. *Magnitudo amaritudinis myrrhæ in illo incenso tanta fuit, non solum quod obstruxit os loquentium iniqua: sed & myrrha incensi illius replevit, & super implevit ora laudantium beatorum angelorum in æternum.*

90. *Myrrha incensi illius perfecte insignivit regem summum, perfecte induit & decoravit summum Sacerdotem, dignificavit incensum.*

91. *Incensum illud æquavit legem, pacavit justitiam, placavit æquissimum & sævissimum legislatorem, quia legem perfecte integravit & implevit.*

92. *Iob dicit: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, velut arena maris hæc gravior appareret.*

93. *Hoc verbum ad rigorem & ad unguem, nemini convenire potest, nisi Domino Iesu Christo in cruce.*

94. *Quia licet Dominus Iesus peccatum non fecerit, quia tamen obsidem & pignus seipsum pro peccatoribus dedit, illorum peccata, sua facta sunt.*

95. *Christus pretium & pignus redemptionis nostræ paterno mandato factus est.*

96. *Christus peccatum nostrum, anathema nostrum, adeò & maledictum nostrum factus, quando in cruce, velut in statera suspensus est.*

97. *Calamitatem ergo graviorem passus est, quàm omnium hominum peccata meruerunt.*

98. *Neque contentus æquare calamitatem cum peccatis nostris, sed conferta, coagitata, superfluente mensura & superabundante pro peccato mundi satisfacere.*

99. *Vt ubi nostrum delictum superabundavit, longè velut arena*

maris

maris gravior gratia Dei mortem gustantis superabundaret.

100. *Non in carne foris tantùm, nec in quinq; sensibus exterioribus passum significat Zacharias.*

101. *Non in potentiis organicis interioribus duntaxat, significat passum Iesum Sacerdotem magnum ad altare stantem sordidis vestibus indutum.*

102. *Zacharias vidit Sathan stantem à dextris Iesu, ut adversaretur illi, non igitur in solis passionibus animalibus ejus.*

103. *Dextera hæc agni, dextera sanctitatis agni fuit viatoris, non dextera beatæ fruitionis comprehensoris.*

104. *Manifestè enim quædam pars dextera in agno restabat implenda gaudio & lætitia cum vultu Dei.*

105. *Huic dexteræ agni Sathan adversus stabat.*

106. *Hæc dextera quantò major quàm dextera Michaëlis præliantis cum dracone, tantò & prælium agni prælio Michaëlis gravius fuit, & magis agno quàm Michaëli prælium intulit.*

107. *Draco in prælio Michaëlis tertiam partem stellarum traxit.*

108. *In prælio draconis cum Michaële, non animalibus aut organicis passionibus pugnatum est.*

109. *Hoc certamen agni, vulneribus & sanguine agni confectũ est.*

110. *Sanguis agni præcipitur super utrumq; postem, & in superliminari cruciformiter aspergi.*

111. *Salvatur domus ab exterminatore, ubi sanguis legitimè aspersus est.*

112. *Liberatur à servitute corruptionis, quicunq; lavat vestimenta sua sanguine agni.*

113. *Sanatur ab omni veneno mortifero ignitorum serpentum, quicunq; exaltatum serpentem æneum aspiciunt.*

114. *Qui habent oculos videndi, respiciunt exemplar exaltatum à terra.*

115. *Qui*

115. *Qui respiciunt exemplar exaltatum à terra, exaltant & ipsi à terra in exemplar exaltatum oculos suos.*

116. *Qui respiciunt exemplar, habent ipsum, & amplectuntur ipsum pro summo exemplari ducatus, redemptionis, directionis.*

117. *Quiq; habent pro ducatu, adhærent: qui pro directione, imitantur: qui pro redemptione, diligunt & amant.*

118. *Quicunque adeò adhæret, ut sequatur & imitetur, jam lavat vestimenta sua in sanguine agni.*

119. *Quicunq; lavat vestimenta sua in sanguine agni, si retrospiciat non adhuc dignus, ac tanti exemplaris spectator est.*

120. *Quicunq; dignè lavat vestimenta sua in sanguine agni, super nivem dealbat ea.*

121. *Vestis lota in sanguine agni super nivem dealbata, sola vestis nuptialis est.*

122. *In nuptiis agni nulla est vestis nuptialis, nisi amor agni.*

123. *Non dignè lavat vestimenta sua in sanguine agni, qui non dignè amat agnum.*

124. *Secundum Apostolum, qui non amat Dominum Iesum, anathema est.*

125. *Non qualibet agni dilectio amor est.*

126. *Solus ille agnum amare censetur, qui adeò passum pro se agnum diligit, quòd agni vulnera illi amariora sint, quàm sua propria.* Quis Christum diligat.

127. *Non sufficit ad puritatem amoris agni, ut vulnera agni acerbiora sint amanti quàm sua.*

128. *Cui adhuc sua vulnera, & quamdiu, vel aliquantò licet minus quàm agni vulnera amara, tantò & tamdiu adhuc sui amator.*

129. *Facile quisq; suo judicio dignoscere potest, an agnum sincerè amet, an non.*

130. *Vt purus ac sincerus amor noster in agnum sit, nihil amanti*

acerbum aut amarum præter dolores & acerbitates agni.

131. *Sincerus amor agni nisi merus fuerit, non adhuc agno amatore dignus.*

132. *Solus merus & perfectus amor agni perfectè & sanctè crucifigit amatorem agni.*

133. *Perfecto amatori agni crux est, quicquam agno crux est.*

134. *Agno amor sui, & omne peccatum cruce amarius est.*

135. *Quia agnus pro peccato diluendo, crucem amplexus est.*

136. *Solus perfectus amor agni, agninos & agni amatores, perfectis legibus, moribus & armis agni, agninos facit.*

137. *Omnibus merè agninis, concupiscentia carnis cruce amarior est.*

138. *Meris amatoribus agni, mundus & omnis concupiscentia ejus crux est. Perfectus amator, cognito agni regno, plus regnat agni regno quàm suo.*

139. *Imò solo agni regno regnat, & nullo suo, si agnum perfectè amat, & non se, sicut sola cruce agni cruciatur & crucifigitur.*

140. *Amor agni, solus ignis est, quem venit Dominus mittere in terram, volens ut accendatur.*

141. *Solus ille ignis, ubi perfectè accensus fuerit, perfectè lignum, fœnum, stipulam exurit.*

142. *Quicquid ab illo igne exuritur, detrimentum est.*

143. *Amor in agnum crucifixum, perfectus ubi fuerit, perfecta clavis regni est.*

144. *Amor agni regnantis, ubi merus & perfectus fuerit, non tam clavis regni cœlorum est, quàm solium & consessus regni.*

145. *Ignis ille perfecti amoris agni, omnem sui amorem radicitus exurens, prorsus totum sese Deo & agno sacrificat.*

146. *Ad hunc talem amorem, Apostolus omnes nos despondet virginem castam, non habentem maculam, neq; rugam, neq; aliquid hujusmodi, exhibere.*

147. *Quem amorem agni, quamdiu non perfectè habent, non merè adhuc virgines castæ sunt.* 148. De-

148. *Desponsatio hæc Apostoli per verba de futuris nuptiis est.*

149. *Desponsatio per verba de præsenti, non consummabitur nisi dignè, merè, perfectè, sanctè amantibus.*

150. *Desponsatio per verba de futuro, etiam salutaris, stat cum anathemate nuptiarum de præsenti.*

151. *Qui non amat verè Dominum Iesum, ab illis nuptiis, anathema est.*

152. *Nemo perfectè potest amare agnum, qui non perfectè cognoscit agnum.*

153. *Qui non perfectè cognoscit illa duo fundamenta duarum civitatum, de quibus B. Augustinus,* lib. 4. de civ. Dei, cap. ult. *non potest nosse præliorum agni magnitudinem.*

154. *Magnitudinem ejus prælii, nemo dignè æstimat, nisi qui duorum illorum amorum zelos dignè æstimat.*

155. *Zelus agni in Deum & pro domo Dei tantus, quanta dilectio ejus in Deum, quantum odium ejus quo odivit iniquitatem.*

156. *Zelus draconis tantus, quantus amor ejus in seipsum, & quantum odium ejus contra Deum & agnum.*

157. *Hi duo Zeli velut ardentissimi arduissimo prælio præliati sunt.*

158. *Zelus draconis, contra Deum & agnum furentissimus.*

159. *Zelus agni pro gloria Dei, ac domo Dei ardentissimus.*

160. *Tantum igitur prælium agni cum dracone, quantus altrinsecus duorum præliantium zelus æstuantissimus prælium conflare potuit.*

EJUSDEM M. WESSELI DE MYSTERIO CRUCIS, ET VIA LIGNI VITÆ, DE gladio ignito & versatili, de mysterio quatuor dimensionum crucis, aliæ propositiones.

1. *Oportet comprehendere, cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo,*

latitudo, sublimitas & profundum, quia oportet sanctos esse, quorum Deus sanctus est.

2. Longitudo & latitudo, suis dimensionibus crucem constituunt.
3. Stans homo brachiis extensis, crucis formam exprimit.
4. A capite usque ad pedes longitudo. A dextera in sinistris latitudo. Caput sublimitas, pedes profundum in homine.
5. Hominis forma, crucis figura est, gladius crucis figuram habet.
6. Gladius ignitus versatilis custodit viam ligni vitæ.
7. Ad lignum vitæ non pateret aditus, nisi per gladium versatilem ignitum.
8. Per gladium ignitum, ferientem, quia versatilem, accessus non est, nisi per mortem.
9. Gladius biceps, versatilis, undique scindit, concidit & mactat, indignum ligno vitæ, ne ejus fructus ab indigno manducetur.
10. Gladius ignitus, versatilis urit & devorat ubique.
11. Ad viam ligni vitæ dignè custodiendam, non sufficit crux.
12. Poterat enim avidus vitæ, vel surripere vel transcendere.
13. Gladio custoditur via ligni vitæ, quo non nisi per vulnera & sanguinem & mortem sit aditus ad lignum vitæ.
14. Non satis tuta custodia ligni vitæ per crucem & gladium bicipitem, nisi versatili impetu, ac valida in circuitu ejus tempestate, biceps ille gladius versaretur.
15. Versatilis tempestas bicipitis gladii, non solùm vulnerat & mactat, sed & comminuit usque ad minima cor accedentis, quia crebro concidit.
16. Ista concisio & contritio cordis, idem sunt.
17. Tantæ dignitatis lignum vitæ, quæ neque cruce, neque gladio, neque bicipiti, neque versatili satis dignè custoditur, nisi fuerint hæc omnia prorsus ignea.
18. Non satis est pro ligno vitæ sanguinem sudare per vulnera, non

satis est mori, non satis comminui & conteri, sed oportet per ignem devorantem consumi.

19. *Verè non ignavum esse oportet, qui vult vitam.*
20. *Non per prona, non per declivia, sed in ardua ducit via ligni vitæ.*
21. *Lignum vitæ non patitur ignavum possessorem.*
22. *Lignum vitæ non conquiritur ab inerte negociatore.*
23. *Via ligni vitæ non admittit segnem amatorem.*
24. *Segnis qui sine igne est, non potest habitare cum igne devorante.*
25. *Strenuissimæ militiæ species est amor ligni vitæ, discedite segnes.*
26. *Lignum vitæ gustatum, vitam dat mundo.*
27. *Vita non datur, nisi per lignum vitæ.*
28. *Lignum vitæ non contingitur, nisi per viam ligni vitæ.*
29. *Fructus ligni vitæ, vita æterna.*
30. *Fructus ligni vitæ, regnum cælorum, regnum cælorum vim patitur.*
31. *Violenti rapiunt viam, lignum, fructum, vitam, cælum, cælorum regnum.*
32. *Via ligni vitæ, per gladium ancipitem, acutum, versatilem, ignitum ducit ad vitam.*
33. *Via vitæ per mortem consumentem.*
34. *Via ligni vitæ, non tam per gladium est, quàm gladius ipse.*
35. *Gladius anceps, versatilis, igneus, idem quæ crux Christi.*
36. *Non corporalem crucem vel gladium, aut localiter protensam viam, aut materiale corporale lignum vitæ suspicandum.*
37. *Sicut vita æterna merè spiritualis, ita lignum vitæ, via ligni vitæ, gladius & crux ipsa, spiritualia sunt accipienda.*
38. *Hæc enim est vita æterna, nosse verum Deum, & quem Deus misit Iesum Christum.*
39. *Iesus Christus lignum vitæ.*
40. *Iesus vita æterna est, Iesus via est ad vitam.*

 41. Ad

41. *Ad Iesum nemo pervenit, nisi per Iesum.*
42. *Ad Iesum nemo pervenit, nisi secundum Iesum.*
43. *Iesus crux & gladius, custodiens, tutans, muniens viam ligni vitæ.*
44. *Durus custos viæ, nullum ignavum, tepidum, frigidum, desidem admittit. Excluditur omnis non altitudinem, profundum, dextrum, sinistrum comprehendens.*
45. *Vertex crucis altissima & promptissima obedientia est.*
46. *Dextrum crucis ad meridiem, ardentissima in Deum charitas est.*
47. *Sinistrum crucis ad aquilonem, ardentissima patientia est.*
48. *Imum crucis, profundissima humilitas est.*
49. *Hoc lignum fuit missum in panem, qui gloriatur Deum habere patrem.*
50. *Hic gladius transivit per animam virginis matris.*
51. *Hæc gloria Pauli, qua sine absfuit ei gloriari.*
52. *Ista crux Christianorum, qua, qui sunt Christi, carnem, concupiscentias & passiones crucifixerunt.*
53. *Ista est sublimitas & profunditas, longitudo & latitudo, sanctis omnibus comprehendenda.*
54. *Hoc debitum servorum auditorum legis.*
55. *Hoc debitum colonus quamdiu non plenè solvit, semper debitor manet.*
56. *Hoc debitum non solutum, ex institutione magistri magni, semper donec solvamus cogimur orare, quo dimittatur nobis.*
57. *Crux debitum est Christianorum infirmorum, vexillum bellatorum, nobile triumphum victorum gloriosorum, insigne triumphantium.*
58. *Hoc debitum ligat omnes Christianos.*
59. *A vinculo hujus debiti nemo absolvitur, nisi qui debitũ solvit.*
60. *Hoc debitum, quatenus quisq; solvit, eatenus absolvitur.*

61. *Ab hujus debiti vinculo Deus neminem ſolvit, niſi ſolventem.*
62. *Dei & hominum mediator, agnus Dei, non tollit peccata mundi, niſi tollentis crucem ſuam & ſequentis.*
63. *Agnus Dei tollens peccata mundi, ſignum eſt elevatum in monte videndum omnibus gentibus.*
64. *Signum elevatum in monte, exemplar eſt ſpiritualis ſtructuræ monſtratum in monte.*
65. *Exemplar abſq; imitatione fruſtrà eſt, ſicut fruſtrà calciamentum, cujus nulla eſt calciatio.*
66. *Exemplar elevatum à terra in monte monſtratũ, traxit omnia ad ſe.*
67. *Qui non ab hoc exemplari trahitur, non eſt.*
68. *Hoc exemplar tractis omnibus convivium facit in monte.*
69. *Convivium hoc grande convivium eſt pinguiſſimum, medullatorum, crapulatorum, amore defecatæ vineæ inebriatorum.*
70. *Nemo convivit, qui non vivit.*
71. *Nemo vivit, niſi qui dignè amat.*
72. *Indignus amor dementia eſt: convivium hoc verè conviventium eſt.*
73. *Convivium hoc ſympoſium eſt.*
74. *Sympoſium, ſymbolum eſt & compotatio.*
75. *Symbolum hoc & ſympoſium in calice Teſtamenti bibitur.*
76. *Calix Teſtamenti, calix eſt ſalutaris.*
77. *Abſq; calice ſalutari non eſt ſalus, abſq; ſalute non eſt vita.*
78. *Teſtamentum non eſt abſq; morte teſtatoris.*
79. *Calix ſalutaris non eſt abſq; calice Teſtamenti.*
80. *Non eſt igitur ſalus & vita abſq; morte teſtatoris.*
81. *Teſtatori non convivit, qui teſtatorem non amat.*
82. *Teſtator niſi exaltatus à terra, teſtamentum non condit.*
83. *Teſtator exaltatus à terra, ipſe eſt ipſum teſtamentum.*
84. *Teſtator exaltatus à terra, deſiderio teſtamenti ſui, trahit omnia ad ſe.*

ad se. Qui desiderat vitam & salutem, jam trahitur ad exaltatum à terra testatorem.

85. *Quisq; quantò vult vitam & salutem, tantò trahitur.*

PROPOSITIONES EJUSDEM EX EVANGELIO DE CORPORE ET SANGUINE Christi sumendo, quo fructu sumentium, & de veritate ejus.

1. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, hoc est, spiritualiter & non carnaliter intellecta vitam præstant.*
2. *Spiritus enim vivificat interiorem hominem, & carnalis intellectus ad hoc non prodest quicquam.*
3. *Et quia quidam ex vobis carnales sunt, jam non credunt spiritualiter vivificantibus verbis.*
4. *Novi à principio qui sint nō credituri, & qui me tradit
 uri postquam crediderint.*
5. *Qui credit in me, habet vitam æternam.*
6. *Omnem habentem vitam æternam, ego suscitabo eum in novissimo, sed ad altiorem vitam, & in cujus comparatione hæc interim vita mors est.*
7. *Omnis videns filium & credens in eum, habet vitam æternam.*
8. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.*
9. *Qui credit in me, non sitiet aliquando, ergo credere est bibere sanguinem ejus.*
10. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet aliquando.*
11. *Ergo venire ad eum, est manducare. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: Ergo manducat carnem, & bibit ejus sanguinem.*
12. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum. Ergo trahente pa-*

te patre comeditur & bibitur. Trahi, audire & discere est nimirum.

13. *Omnis qui audit à patre meo, & discit ab eo, venit ad me.*
14. *Non quòd patrem aliquis viderit, nisi qui est à Deo, hic videt patrem, ille videt cui narranti credimus.*
15. *Credens haurit verbum annunciantis, & pascitur ab illo.*
61. *Omnem, qui venit ad me, non ejiciam forâs.*
17. *Qui venit ad me, non esuriet aliquando.*
18. *Propter incredulitatem dixi vobis, nemo potest venire, nisi fuerit ei datum à patre meo.*
19. *Abierunt ergo multi retrò, quia non crediderunt. Nunquid & vos vultis abire non credentes?*
20. *Et Petrus, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, juxta 1. & 2.*
21. *Et nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi.*
22. *Habetis ergo vitam æternam, juxta quintam & sextam. Manducatis ergo carnem filii hominis, & bibitis ejus sanguinem, resuscitabo ergo vos in novissimo die.*
23. *Omne quod dabit mihi pater, ad me veniet. Et hæc est voluntas patris mei, qui misit me, ut omne quod dat mihi pater, non perdam ipsum, sed resuscitabo in novissimo die.*
24. *Hæc est voluntas qui misit me patris, ut omnis videns filium, & credens in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*
25. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, ut scilicet veniant ad filium, non peccant, non perdantur, sed vitam habeant in eum credentes.*
26. *Filius hominis dat cibum manentem in vitam æternam, nisi credideritis, non habebitis vitam in vobis manentem.*
27. *Ego sum panis vivus, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet*

in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex hoc manducet, non moriatur. Quia si non manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

28. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum.*

29. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Accipite ergo & manducate ex hoc omnes. Hoc est corpus meum. Hoc quotiescunque facitis, in meam facite commemorationem, diligenter considerantes quæ apposita sunt vobis, dijudicantes corpus Domini traditum pro vobis, & mortem Domini annunciate, quia manducando, commemorando, desiderando, dijudicando, ruminando, gustando, esuriendo, concupiscendo, deficiendo, æstimando, amando, amore languendo, vivificabimur, roborabimur, inflammabimur in Deum vivum, ut maneamus, vivamus in Deo.*

30. *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.*

31. *Et qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Ergo credendo in eum, comeditur & manducatur caro ejus, & bibitur sanguis ejus.*

32. *Quia nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.*

33. *Credendo autem in eum, etiamsi mortui fuerint, vivent, & non morientur in æternum.*

34. *Quia justus ex fide vivit, non ex pane, sed ex verbo procedente ex ore Dei.*

35. *Hoc verbo vivificat credentes, purgat proficientes, quia fide purificat,*

rificat, corda eorum mundificat, amantes lavat, mundat, amantes delectat, inflammat perfectos, AMEN.

QUOMODO OPERAMUR CIBUM QUI NON PERIT: ET QUOD CREDERE IN Christum, sit opus cibi non pereuntis. Et credens vivit, & fide vivens resuscitatur in novissimo die.

1. *Operamini cibum, qui non perit. Nota verba: Operamini cibum. Et subdit, qualem cibum debeant, & velit eos operari. Cibum scilicet qui manet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater signavit Deus.*
2. *Sigillo ergo patris, operamur cibum. Sed quomodo poterimus operari sigillo, nisi negotiando in sigillo penes legitimum usum sigilli?* — *Usus sigilli est credere.*
3. *Et quis usus in sigillo legitimus, nisi credere? propterea sigilla testimoniorum loco adhibentur, ut eis tanquam testimonio fideli fidatur. Et ad hunc modum, licet non ex integro, etiam turba videtur intellexisse, quando respondit, quærens quid facerent, ut operarentur opera Dei, sed ut clarius cognoscerent, liquido explanavit, quomodo operarentur cibum non periturũ.*
4. *Hoc scilicet esse opus Dei, ut crederent in eum quem Deus misit.*
5. *Nosse igitur Deum, & quem Deus misit Iesum Christum, hoc est operari cibum qui non perit.*
6. *Hæc enim est voluntas ejus qui misit me patris, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die, jam credit & vitam habet.*
7. *Quomodo igitur ad vitam resuscitabit, nisi præsens hæc fidei vita, mors est, ad secundam vitam comparata? Lumen lucernæ lux quædam est: sed ad lumen orientis Luciferi, tenebræ. Et lumen orientis Luciferi, ad illucescentem diem tene-* — *Præsens vita fidei collata ad secundam vitam.*

bræ eſt. Et illuceſcens dies ad ortum Solem tenebræ eſt. Noviſſimus autem dies perfectiſſimæ lucis erit. Ad quam cùm evigilabimus, velut à morte reſuſcitabimur.

8\. *Hujus vitæ parvo quædam ſementis eſt fides credentium.*

9\. *Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam: ego ſum panis vitæ.*

10\. *Igitur credendo in eum operamur cibum qui non perit, interim in via magis.*

11\. *Magis autem operabimur, videndo, æſtimando, &c. in patria.*

12\. *Patres veſtri manducaverunt manna, & mortui ſunt. Quia non ut interioris hominis refectionem manducaverunt.*

13\. *Hic eſt panis vivus de cœlo deſcendens.*

14\. *Si quis ex ipſo manducaverit, non morietur.*

15\. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.*

16\. *Si quis manducat ex hoc pane, vivet in æternum.*

17\. *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.*

18\. *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis.*

19\. *Et biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

20\. *Quia anima in ſanguine ejus cum omni plenitudine ſanctificationis ejus informat ſanguinem ſicut carnem, quia ſanguis de veritate ſubſtantiæ hominis, uti caro.*

21\. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, hic habet vitam æternam.*

22\. *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Igitur adhuc aliqualiter jacentem & preſſum.*

23\. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

24\. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

25\. *Si tamen eſuriens & ſitiens plenitudinem gratiæ & veritatis anhelet.*

26. Sed

26. *Sed qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulare.*
27. *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem.*
28. *Et qui manducat me, & ipse vivet propter me.*
29. *Manducat qui gustat, quoniam suavis est.*
30. *Sic manducavit Magdalena, quando sedebat ad pedes Iesu.*
31. *Quando primò multum dilexit, quando & ingens bonum opus operata est.*
32. *Flagellis ejus flagellata, opprobriis ejus exprobrata.*
33. *Imò plus quàm si ipsa exprobrata fuisset.*
34. *Vulneribus ejus concrucifixa, morienti amaro luctu commortua, mortis victori congavisa, tripudians triumphatori.*
35. *In omnibus his manducavit carnem filii hominis.*
36. *Et bibit sanguinem ejus, & propterea verè vivit in æternum.*
37. *Sic participare corpori & sanguini, hoc manducare est magis quàm si decies millies Eucharistiam ad altare de manu Sacerdotis, arido corde, frigida voluntate, licet etiam in statu salutis capiamus.* (De accessu ad Eucharistiam.)
38. *Qui enim plus amat, ille plus operatur cibum, qui non perit.*
39. *Sicut enim vita interioris hominis in sapientia, gloria & charitate, sic necessariò talibus nutriatur oportet interior homo.*
40. *Ex eisdem enim sumus, ex quibus nutrimur.*
41. *Sed quoniam ad perfectam sapientiam, gloriam & charitatem, nobis nulla vera via est, nisi per sapientiam, gloriam & charitatem, quam Dominus Iesus in carne monstravit: ideò nisi carnem filii hominis manducemus, non operabimur cibum, qui non perit, nec habebimus vitam in nobis.*

HOLOCAUSTUM SUMMI SACERdotis Christi quomodo nostrum fiat.

1. *Debemus perfectè justi esse, qui perfectè justorum gloriam expectare jubemur.*

2. *Sed quam debemus perfectam justitiam & sanctitatem, obtulit & exolvit summus Sacerdos.*
3. *Et hujus summi Sacerdotis holocaustum suum facit, quisquis credit in nomine illius, sive Iudæus, sive gentilis.*
4. *Quotiescunque cum pietate summi Sacerdotis recolimus, ejus munere justi sumus.*
5. *Data est illi omnis potestas in cœlo & in terra, qui vult, & ubicunq; ipse est, sit & minister ejus.*
6. *Ministrat autem illi omnis filius Dei tanquam primogenito.*
7. *Quotquot recipiunt eum, id est, quotquot credunt in nomine ejus, potestatem accipiunt filii Dei fieri.*
8. *In omni susceptione sacramenti, si dignè suscipimus, holocaustum summi Sacerdotis nostrum facimus.*
9. *In omni commemoratione Iesu summum illud consummatæ sanctitatis incensum offerimus, quia qui non manducat, non habet vitam in se.*
10. *Et qui credit, habet vitam æternam, ergo manducat, & dignè manducat, cùm tamen nihil nostrum de condigno justè tantis possit comparari, &c.*

Quòd fide justificamur tanquam argumento, non tanquam causa.

IAm vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis, non propter verbum fidei vestræ, aut propter verbum confessionis vestræ, tametsi mundi sitis, habentes verbum fidei in corde, & verbum confessionis in ore, quoniam fide mundificat corda fidelium: sed non propter fidem, sed propter sermonem & verbum Dei vivificans hominem. Sic neq; in Baptismo propter verbum credulitatis & confessionis, neq; propter verbum sacramenti baptismatis, sed propter verbum loquentis Dei justificatur, vivificatur impius, in fide & ex fide vivens. Fide dico

dico tanquam argumento, ſed non tanquam cauſa. Omnia enim hæc fiunt per verbum, de quo dictum: Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis, ut in ſermone concludit.

Apoſtolus *ad Hebr.3.* vocat fidem & confeſſionem principium ſubſtantię Chriſti, quia per eam participes ſumus in Chriſto cùm ſit vita. Juſtus per fidem vivit. Et hoc magis expreſsè in *ult.cap.* ubi dicit: Quibus juravit non introire in requiem ſuam. In incredulis ergo, incredulitas ſeparat à vita. Et qui credit in eum, habet vitam æternam. Noſtra igitur bona opera fidem alunt & confortant, non autem vivificant, ſed vitæ vinculum confortant, fidem ſcilicet noſtram. Solus enim Chriſtus & ſpiritus vivificat nos, & ſacrificium Chriſti ſanctificat nos, & fortiori vinculo fidei fortius huic vitæ cohæremus. Sed nihil hoc vinculum firmat magis dilectione, fortis enim ut mors dilectio. Per hanc enim cùm operatur fides, firma eſt, & principium ſubſtantiæ noſtræ firmum eſt. Firmiſſimum igitur principium ſubſtantiæ Chriſti, in quibus dilectio ſola operatur, &c. ſed in aliis operibus ex charitate ſuſceptis, etiam firmum eſt vitæ vinculum. Non enim aditus eſt ad Deum niſi per Chriſtum: & quemadmodum infirmus, licet ad mortem declinet, & creſcente infirmitate magis declinet, quamdiu operatur aliquod opus vitę, vivere dicitur, licet exiliter, vivit tamen: ita & in ſpiritu, quicunq; vel tantùm credit in Chriſtum, ut nō faciat contra Chriſtum, licet langueat, vivit. Et ſi ita hinc tollatur, ſalvus erit. Non enim leviter capiendum verbum Domini Jeſu ad Johannem: Nolite prohibere, qui enim non eſt adverſus vos, pro vobis eſt. Quemadmodum filii & pueri incredulorum, cum ipſis egreſſi de Ægypto, non propter ſuam incredulitatem ab ingreſſu promiſſæ hæreditatis leguntur excluſi. Et ad hoc principium ſubſtantiæ injiciantur quidam ab utero matris, ut Hieremias, Johannes

Fides principium ſubſtantia Chriſti.

Bona opera alunt fidem, ſed non vivificant.

Fides infirma licet, ſalvat tamen.

hannes baptista. Quidam per lavacrum regenerationis, alii absque lavacro. Alii penè jam ab ipsis portis revocantur ad vitam, cùm jam spiritum efflaturi sunt. Alii medio errore revocantur, ut Matthæus, Magdalena, &c.

PROPOSITIONES DE GRATIA DEI ET FIDE IN JESUM CHRISTUM, ex Paulo Apostolo.

1. *Qui mortuus est propter peccata nostra, resurexit propter justificationem nostram.*
2. *Christus factus est ex semine David, secundum carnem prædestinatus filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurectione mortuorum Christi Domini nostri.*
3. *Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino nostro Iesu Christo.*
4. *Ex operibus legis nō justificabitur omnis caro coram illo, etiamsi primum mandatum opere compleat, propterea justus erit in conspectu Dei.*
5. *Sed omnis justitiæ sufficientia ex Deo per verbum incarnatum gratiæ & veritatis plenum in Spiritu sancto Christum Sacerdotem. Per legem enim cognitio peccati.*
6. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata in lege & Prophetis.*
7. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi super omnes, qui crediderunt, Rom.3.*
8. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionē quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, & justificans eum qui ex fide est.*

9. Per

9. *Per legem ergo fidei omnis gloriatio facientis & operantis exclusa est.*
10. *Abraham si ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*
11. *Sed credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.*
12. *Credidit in illum, qui justificat impium credentem in se.*
13. *Iustitia hæc fidei, etiam erat in præputio Abrahæ.*
14. *Ejusdem justitiæ signaculum, est circumcisio.*
15. *Vtrobiq; ergo fides justificat, non circumcisio, non lex, sed fides prior utroq; justificat. Non ex merito credentis, sed proposito & acceptione Dei, in quem credidit, quoniam patrem multarum gentium constitui te ante Dominum, in quem credidisti, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.*
16. *Ad Rom. 5. Per Dominum Iesum accessum habemus per fidem in gratiam istam, scilicet justificationis, & in hac gratia stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*
17. *Neq; ergo fides nostra, qua vel in Christum, vel in Deum tradentem Christum, neq; sacrificium Christi, sed propositum Dei acceptantis sacrificium Christi, & per Christum acceptantis sacrificium Christianorum, justitia nostra est.*

Iustitia Christianorum & fides in quo consistant.

18. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, &c.*
19. *Iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum.*
20. *Ergo in sanguine non solùm peccatorum remissio, sed & justificatio & salus. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii, ergo per mortem reconciliatio. Multò magis nunc reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Ergo & vita Christi magis nunc in salutem (quàm ante mors) est.*
21. *Non solùm autem (scilicet his tantis Dei donis, Dei in nobis charitatem commendantibus gloriamur) sed insuper gloriamur in Deo, licet, per Dominum enim Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*

In quibus glorificandum Christiano.

22. Gloriamur ergo in fide Christi: Gloriamur in spe filiorum Dei: Gloriamur in tribulationibus nostris: Gloriamur in morte & cruce Christi: Gloriamur in vita & resurrectione Christi: Gloriamur in reconciliatione per eum: Gloriamur in Christo homine: sed super omnia gloriamur in Deo per Christū suam in nobis charitatem commendantem.

23. Sicut enim omnia hæc ad justificationem nostram, quæ tamen finaliter in solo consistit proposito Dei:

24. Ita etiam gloria nostra ad ultimum duntaxat est in solo Deo, suam in nobis charitatem commendante. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum unius hominis Christi Iesu in plures abundavit.

25. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.

26. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ Dei & donationes justitiæ accipientes in vita, regnabunt per unum Christum. Ergo sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.

27. Hic manifestè sacrificium justitiæ Sacerdotis Christi justificat & sanctificat populum Dei.

28. Et sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi.

29. Sicut peccatum regnavit in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum, AMEN.

DE DIGNITATE ET POTESTATE ECCLESIASTICA: DE VERA ET RECTA obedientia: & quantum obligent ſubditos mandata & ſtatuta Prælatorum.

Quòd ſubditi non obligantur credere Papæ, niſi rectè credenti.

PApa tenetur credere, & obligatur cum omnibus obligatis fidelibus. Et quando credit ſicut obligatur, tunc fideles obligantur credere quod ipſe credit. Non quia ipſe credit, ſed quia credit quod credere debet. Et ſi alius meliùs eo crediderit quod credere debet, ipſe Papa debet cum illo credere, quocunque etiam laico & muliere. Non quia laicus eſt, aut quia mulier ita credit, ſed quia ad veritatem Evangelii recto calle incedit. Unde Petrus *ad Galat. 2.* non recto pede ad veritatem Evangelii incedens tenebatur Paulo, non quia Paulus aut ſubditus erat, credere, ſed quia ad veritatem Evangelii rectiori pede incedebat. Unde concluditur, quòd licet veriſimiliter præſumendum ſit, ſummum Pontificem & Prælatos tantò rectiùs ad veritatem Evangelii incedere, quantò cæteris aliis altiùs in ſublime dignitatis evecti ſunt, & ita cæteris paribus potius illis quàm alicui ſubditorum credendum. Non tamen ſimpliciter ſubditos obligatos ad credendum illis. Hoc enim adeò irrationabile eſt, & blaſphemiæ plenum, ut etiam quacunq; hæreſi peſtilentiùs inveniatur. Poteſt enim prælatus & ſummus prælatus errare, ut primus illorum à Domino Jeſu proprio oraculo electus, & Spiritu ſancto plenus, erravit. Sed hoc factum Domino permittente, ut ſciremus, non homini, ſed Spiritui ſancto noſtram fidem obligatam. Et rectè. Fides enim cùm ſit virtus Theologica, ſoli

Papa obligatur credere melius credenti.

Fides noſtra

non homini, sed Spiritu sancto obligatur.

Pleriq; Papa pestilenter erraverunt.

Deo obnoxia, in solum Deum credit, in quo solo justus vivit per fidem. Valdè periclitaretur vita justi, si penderet ex vita Papæ. Summorum enim Pontificum pleriq; pestilenter erraverunt, ut novissimis diebus nostris, in Constantia, celebri Concilio claruit. Benedictus, Bonifacius, & Johannes XXIII. quàm graviter fidem lacerarunt. Et nostris postremis diebus, Pius II. & Sixtus IV. Quorem alter patentibus bullis regna terrarum sibi vendicavit: alter turpissimas dispensationes, non solùm de præstito in causa civili juramento, sed etiam de præstando, de plenitudine potestatis, plumbatas bullas emisit, in abusu potestatis Apostolicæ. Quicquid frater Petrus vel comes Hieronymus insolenter aut avarè gesserunt, ipse postea cùm resciret, ratificavit etiam bullis plumbatis.

Quòd primus Papa Petrus erravit, & correctus à Paulo, omnibus in exemplum, ut sciant sapientes de sale infatuato quid faciant.

Nullus Papa sapientior Petro. Nullus majore autoritate sancto Petro. Nullus majore sanctitate quàm sanctus Petrus. Ita, ut si nullus debeat Papæ dicere, quare sic facis, aut Papam reprehendere & judicare, maximè Petrus non deberet reprehendi. Sed quæro: Si Papa reprehensibilis, & non rectè ad veritatem Evangelii incesserit, ut facilè videre possunt omnes, quibus est spiritus sapientiæ Dei, quid causæ est, quare non debeat ab ullo reprehendi? quia sapientissimus & sanctissimus eorum, à sapientiore & sanctiore reprehensus est palàm coram omnibus, cum improperio. Improperavit Paulus post acceptum Spiritum sanctum. Sicut ante Spiritum sanctum datum, illis undecim recumbentibus, Dominus Jesus improperavit incredulitatem cordis eorum. Sic nunc Paulus Petro improperat metum, humanam infirmitatem, inconstantiam, & scandalum fidelium, non solùm pusillorum, sed etiam perfectorum, quia Barna-

Barnabæ Apoſtoli, & id cum ignominia & publica confuſione. Sed ſicut hæc divina diſpenſatione circa Petrum, ita divina benignitate plenariè circa non ſolùm Petrum, ſed Eccleſiam omnem in omne ævum conſolandam acta ſunt. Petro enim data charitas, & ſapientia & humilitas, univerſa hæc detrimenta, majore proventu fortiorem reſurgere poſt ruinam. Et ex Paulo didicerunt ſapientes omnes, de ſale terræ, quid facere debeant, ſi contingat ipſum infatuari. Ad nihil enim valet, niſi ut mittatur forâs, & conculcetur à ſapientioribus: ſed hoc non amplius aut ultra, quàm infatuatum fuerit. Grandis igitur hæc ſententia contra indignos Eccleſiæ prælatos.

Diſpenſatio Dei circa Petrum ad Eccleſiæ conſolationem.

Sal terræ infatuatum quatenus conculcandum.

Dominis etiam diſcolis obediendum, quomodo intelligendum.

Verbum diſcolis in Canonica beati Petri Apoſtoli: Servi obedite dominis veſtris, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis: non tam graviter obligat ſervos, ut pleriq; accipiunt, volentes conditionem ſervilem in omnibus malorum dominorum præceptis obligatam parere. Sed hi non intelligunt vim verbi Græci. Diſcolos enim eſt, cui difficile vacatur, *ut Matth. 19.* Quàm difficile dives vacat, ut intret in regnum cœlorum. Difficilibus ergo dominis obediendum, non reprobis, hoc eſt, prava mandantibus.

Dominis etiam diſcolis obediendum, quomodo intelligendum.

Statuta prælatorum Eccleſiæ, quomodo accipienda, & prælati quando tolerandi, aut repellendi.

Interrogantes Dominum Phariſæi, quare diſcipuli ejus tranſgrederentur mandata ſeniorum, acceperunt aliam majorem quæſtionem reſponſalem, nõ infructuoſam eruditionem. Nam & ſententia docet, & exemplo: Sententia, ut ſciamus, non ſic Eccleſiæ prælatorum ſtatuta accipienda ſicut mandata Dei: ſic enim gravius eſſet jugũ Evangelii, quàm jugum legis. Docet etiam exemplo, quomodo fideles, ubi vident ſcandalo-

ſum errorem ſuperiorum, invehant, corripiant, ſi occultum, occultè, ſi apertum, apertè. Nam Dominus illorum conatibus in faciem illorum errata objecit: & hoc expedit, ne inſoleſcat arrogantia per licentiam dimiſſa ſuo arbitrio, quæ corripi, coërceri & abſcindi non poſſet. Ergo quotieſcunq; impudenter peccant, & tamen inſolenter inſtant, cum adjuncto errore immodeſtiæ, repellendi ſunt, exemplo Domini. Si tamen id obſervatur, quo non contra verbum Domini contemnatur eorum ſana monitio. Quamdiu enim ſedent in cathedra Moſi, facienda ſunt quæ dicunt. Sedere autem æſtimantur, quamdiu quæ faciunt, nō palàm eorum verba retundunt. Ubi verò tam ſcandaloſa eſt eorum vita, ut plus corrumpant exemplo, quàm ædificent verbo, non jam ferendi, quia non in cathedra Petri ſedent, ſed in cathedra peſtilentiæ. Et hi omnes, exemplo Domini, ab officio admonentis, velut inutiles repellendi, majoris turpitudinis ejectione.

Prælati quando repellendi.

Prælati quando non amplius ferendi.

Eccleſiam habere divitias, eſt bonum & malum.

Bonum eſt quòd Eccleſia habet multas divitias, & temporalem poteſtatem, & meliùs eſſet, ſi plures haberet: Bonum enim eſt, multa bona poſſe, & meliùs plura poſſe. Malum eſt, quòd Eccleſia habet multas divitias, & temporalem poteſtatem, non ſolùm quia malum exinde poteſt, ſed etiam quia multa mala exinde facit. Malè adverterunt priſci patres, quando judiciaria ſuſcepta, opes admiſſæ ſunt, quoniam principes ſeculares ſuos volunt ex opibus Eccleſiæ provideri, qui ferè omnes corrupti ſunt, & ſi qui incorrupti accedunt, occupatione & ſollicitudine corrumpuntur.

De ſimonia & collationibus beneficiorum, an Papa benè ad ſe revocet.

In quibuſcunque rebus obtinens poteſt ſimoniam committere acquirendo vel alienando, ejus rei non eſt dominus: unde

unde Canonici beneficiorum & beneficialium proventuum domini non ſunt, unde etiam donare non poſſunt. Neq; Papa ea dare poteſt, ſicut neq; vendere, neq; ullum jus ultra fidelem diſpenſationem tribuere poteſt. Committere poteſt fidelem diſpenſationem, & credere illis quòd fideliter diſpenſent. Infidelem autem diſpenſationem tolerare non licet, etiam Papæ, niſi propter majoris periculi evidenter ſecuturi declinationem, & quicquid aliter in beneficialibus geritur, perperam fit: unde quod beneficiorum collationem ad ſe revocat, quid aliud facit, quàm ut onus reddendæ rationis exaggeret? Cùm verò diſſolutis & corruptis munere vel ſervitio, vel propter hæc, vel ſimilia diſtrahit, non in officium divinum diſpenſat: & quoniam in longinquas provincias rem divinam velut fortunæ committit, quaſi divinarum rerum curam non habeat. Inde quæ mala ſequantur, proh dolor, paſſim ante oculos videre eſt.

Statuta & mandata hominum quantum obligare poſſint.

De horis & jejuniis mandatis, quomodo obligent, ſatis ille venerabilis Gerſon oſtendit. Nec obſtat quod in contrarium allegatur, de rationabiliſſima ſapientia contenta, quia non propterea periculosè obligat, ſicut neq; conſilia Evangelica, quæ plurimum ſapientię continent, nō tamen propter hoc Deus infirmam plebis multitudinē voluit, niſi finaliter ad conſilia obligari. Finaliter enim nemo niſi per foramen acus, columba per foramen petrę intrabit. Ratio igitur adducta militat, in tantum obligare pręcepta prælatorū Eccleſiæ, quantum ſapientiæ continent: obligare, inquam, conditione contentum fructū conſequēdi. Si enim quiſq;, abſq; mortali offenſa, licet infirmioribus non omnes conſiliorum perfectiones aſſequi, & equidem filios lucis eſſe, quis paſſim volet infirmæ multitudini mortalem laqueum

Nota.

queum injicere, ultra necessaria præcepta? Unde satis miror eos qui ex ammonitione, obligationē parturire parant. Omnis enim Ecclesiæ potestas, inter medicum & ægrotum est compacta, id est, pacto duorum constans. Non enim potest pastor pascere, nisi quantum grex pascitur: non potest salvare, nisi quantum sanantur oves: non potest ligare, nisi quantum ligantur vinculis charitatis, non solvere, nisi quantum Sathanæ vinculis exsolvuntur. Hanc à Domino Ecclesia accepit potestatem, ut cùm ille fideliter ministrat, & iste fideliter obtemperat, uterque sui fructum officii consequantur. Ecclesiastica potestas connexa est, ut possit quantum pascit, est etiam compacta, ut pascat quantum alter pascitur.

Consilium pro infirmis.

Valdè pro infirmis facit, non solùm in metu incontinentiæ, sicut verbum Apostoli: Propter incontinentiam unusquisque habeat uxorem suam: meliùs est nubere quàm uri. Et iterum: Nolite fraudare invicem, nisi forte & consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & revertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas. Ubi ergo per metus aliarum tentationum, puta infirmitatis, impatientiæ, inconstantiæ, rationabiliter timeretur: similis prudentiæ consilium esset, humiliter inferiora complecti, plerisq; vanum ante lucem surgere, sed in consilio domini sedere in civitate, donec induamur virtute ex alto. Et gravis hinc surgit quæstio: Utrum liceat alicui talium infirmorum consilium Apostoli abjicere? Et utrum abjectio obligat irremediabiliter, ut non liceat redire ad consilium Apostoli. Credo autem stultam promissionem displicere Deo, sicut impia juramenta non obligare contra salutem. Sicut enim dicit Apostolus, propter incontinentiam suam nubendum: ita Dominus Jesus propter inconstantiam infirmorum in persecutione fugiendum de una civitate in aliam. Adeò enim consilium infirmitatis, via est ad sa-

An infirmi per vota possint obligari.

ad sanitatem, ut pro sanitate faciat, quod non contra sanitatem pugnat. Juxta illud: Pro vobis est, qui non est contra vos.

Pastor gregem Dei pascere positus est: verùm quia grex pascendus rationis & liberi arbitrii est, non prorsus in potestate pastoris traditus est, ut nihil ab eo exigatur, nisi pastori obedire. Debet enim ovis ipsa dignosse, quibus pascatur, quibus inficiatur, & quomodocunq; oblatam etiam à pastore ipso vitare pestiferam infectionem, & in hoc si sequatur pastorem, non excusatur. Debet ergo populus pastores ad pascua sequi. Quando verò non pascit, pastor non est, neq; tunc, velut inofficioso, grex ei parere tenetur. Pręcipit enim aliquando rectus rectum & rectè, & parendum est, aliquando rectum non rectè præcipit, & ut communiter parendum est, juxta illud: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, &c. Si verò non rectum pręcipiat per ignorantiam, quantumlibet bona voluntate rectus, ubi melius rectum grex noverit, non parere debet, maximè autem ubi neq; rectum, neq; rectè præceperit.

A pastore quid exigatur, & quid à populo.

Pastor quando sequendus, quando relinquendus.

Dilectionem proximi debemus Deo, non proximo.

Mihi præceptum est proximum diligere. Debeo igitur dilectionem proximi, non proximo, quia proximus non me sua lege obligatum fecit me debitorem. Debitor igitur Deo sum tantùm, qui solus me sua lege obligavit. Facilè jam hinc liquet, quàm verum verbum sit illud Psal. pœnitentis: Tibi soli peccavi. Dicimur tamen debere pietatem, reverentiam, gratiam, obsequium, retributionem quibusdam. Dicit Dominus in oratione quosdã nostros esse debitores. Et Apostolus monet: Nemini quicquam debere, nisi ut invicem diligamus, quasi saltem id confiteatur debitum invicem diligere mutuo. Verùm quia impossibile est veritatem veritati repugnare, & superiores duæ veritates irrefragabiliter constent, verè oportet postrema hæc ita accipere, ut ad sanam veramq; sententiam dilucidentur. Debemus

Non sumus hominibus debitores, sed Deo.

bemus igitur angelis & prælatis reverentiam, parentibus pietatem, beneficis gratiam, egeno subsidium, quantum eisdem ratione commodè defertur, non quia debetur, sed quoniam quòd præcipienti Deo debitores sumus, hoc exhibitum illis commodum est. Complexa igitur non simplex locutio per emphasin, schematica non immediata. Utrumq; mandatum de diligendo Deum & proximum, Dei mandatum est, & ejus voluntate obligatorium. Unde & omnia legis mandata, Dei debitores nos constituunt simpliciter: unde non homini debitor sum, de non eum occidendo vel odiendo, vel calumniando. Non enim homo homini legem tulit, aut per legem obligavit. Nullæ igitur leges vel communi consensu multitudinis latæ, vel à prælatis, vel principibus, vel magistratibus editæ, quemcunq; magis obligant, quàm in divina lege comprehenduntur & præcipiuntur. In divina lege præcipimur obedire præpositis, potestati non resistere, pacem civilem civitatum nostrarum servare, pluraq; talia quæ sine illorum servatis legibus non servantur. Debemus ergo parere illis, sed ipsum parere non debemus illis, sed Deo debemus quòd illis paremus, quemadmodum quòd illos diligimus Deo debitores sumus, non illis. Hinc jam clariùs illucescit, quomodo illorum præceptis parere debeamus, ut quia Deo debitores sumus ad parendum illis, duntaxat illis parendum, quo ad nihil contra Deum præcipiunt: nihil enim propter Deum debet fieri contra Deum. Hinc etiam facilè liquet, quanta & qualia præcipere possunt. Et hæc duo penes conscientiam utriusq;. Secus verò de forensi & contentiosa obligatione, quoniã in ea quisq; tantum obligatur, quantum est vinculum affectionis & desiderii de bono præcepto. Unde tantum quisq; ægrotus obligatur audire medicũ, quantum bonæ valetudinis fructum desiderat ex ejus mandato: si multum, multum, si parum, parum. Parum enim obligatur fatuo

Leges & statuta hominum quantum obligent.

Prælatorum præceptis quomodo parere debeamus.

Quæ & qualia prælati possint præcipere.

tuo medico parere, quem talem novit. Semper enim quiſque tantum obligatur mandato, quantum bonum expectat ex obſervato: & talibus valet regula, non teneri mandato, quando ex obſervato majora detrimenta ſequuntur, quàm ex præterito vel dimiſſo. Unde Grammaticorum præcepta rationabiliter prætereuntur & negliguntur à pueris egenis, quibus neceſſarium ditari, ut vivant, quàm doceri, ut clareant: quoniam ſi ſcholam ſequerentur, claritatem cum ſanitate & vita perderent, quibus non parentibus pœna, non Grammaticè loqui cum ſua ſequela: ſic de præceptis Logices, ſic de Philoſophiæ, ſic Regum, ſic ſummorum Pontificum. Quia ſic in cauſa ſalutis obedire ſummo Pontifici, ſicut in cauſa infirmitatis medico, ſi poſſit rectè de utriusq; præceptis dijudicare. Et qui non poteſt rectè dijudicare, quando hæſitat, recurrat ad illius directionem, de quo non dubitet.

Quomodo Papæ obediendum.

Prælatis quatenus à ſubditis obediendum.

Plurimi volunt prælati Eccleſiarum & Monaſteriorum, etiam ſecundum ſententiam S. Scripturæ obedientiam promptam & eam neceſſariã ſubditis ad ſalutem. Juxta illud: Omnia quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Verùm ſi obedientia perſpicaciter inſpiciatur, tam ex voluntate præcipientis, quàm ex forma præcepti, tam ex neceſſitate præcepti, quàm ex fructu & fine præcepti. Voluit enim ut per ſapientiam præſidentis, imperitæ ſubditorum ſimplicitati conſuleretur, ut ita proficerent & accederent ad Deum. Propter ergo ſapientiam Dei conquirendam, Deus obligavit ſimpliciores, ſed non ſola ſapientia fructus erit fideliter obedientibus, quoniam ipſa prompta & humilis obedientia per ſe placet, niſi prorſus fatua fuerit, ut nihil ſerpentinæ prudentiæ admittat. Prælatus enim, niſi quantum ſapientiam docet, audiendus non eſt, quia qui prælatos poſt Apoſtolos audit, Chriſtum audit. Ubi ergo ſe-

Quare Deus voluit prælatis eſſe obediendũ.

Prælatus niſi ſapientiam doceat, non audiendus.

cundum Christum docent vel præcipiunt, illic sicut sapientia ipsa si loqueretur, audiendi sunt, aliâs non audiendi, sicut Paulus Petrum non audivit, scandaloso exemplo cogentem gentes Judaisare. In omnibus igitur sapienter dictis audiendi sunt, sicut si sapientia de cœlo loqueretur, propter sapientiam in verbis comprehensam. Non igitur propter pastoralem autoritatem simpliciter audiendi.

Canones & statuta hominum quantum obligent.

Canones igitur & statuta eorum tantam vim habent, quantam sapientiam continent. Unde non possunt sub pœna peccati mortalis præcipere, nisi quando prævaricatio inobedientis de se mortalem stultitiam implicat. Unde rebus neutris, ut erat illud Pii Papæ decretum de alumine, non obligantur fideles peccare mortaliter, propter solum beneplacitum Papæ.

Explicatio verborum Domini de Scribis & Pharisæis audiendis, sed qua moderatione.

Verbum Domini Jesu de Pharisæis & Scribis sedentibus super cathedram Moysi, licet multis inconsideratè loquentibus scandalum pariat, si diligenti oculo consideretur, etiam in sua latitudine servandum erit. Quia si attendatur latitudo qua præcipitur, satis restricta ac determinata ex utroq; fine, ex præcedentibus enim, quia dicitur de sedentibus in cathedra Moysi, hoc est, docentibus instar Moysi. Et ex posteriori fine, cùm dicitur, secundum opera eorum nolite facere, similiter satis moderatur, quia si secundum opera eorum non faciendum, etiamsi ad illam impudentiam venirent, ut secundum sua opera docerent ac dicerent, non essent jam sustinendi neque audiendi. Neq; qui secundum opera eorum, dictis eorũ obediret (quantumcunq; latè Dominus Jesus dicat, omnia quæcunq; dixerint vobis) excusabilis esset, quia talia dicentes non in cathedra Mosi sedent, sed in cathedra pestilentiæ: quia non dicunt secundum Moysen dicentem, Spiritu sancto inspiratum. Possunt enim

enim ſecundum Moyſen loqui, etiam corrupti homines, licet non ſentiant ſicut Moſes, quemadmodum liber mortuus dirigere poteſt vivum, & legendus eſt mortuus codex, ſic & ſermo mortui Scribæ vel mortui Phariſæi. Monet Apoſtolus probare omnia, ſed quod bonum eſt tenere. Omnia igitur quæcunque dixerint, non ſecundum corruptam affectionem ſuam, ſed ſecundum rectitudinem, cathedra Moſi facienda, facere & ſervare præcipimur. In aliis non præcipimur ſervare aut facere quæ dicunt.

Quando non in cathedra Moſi, ſed in cathedra peſtilentiæ ſedeant.

De vera & recta obedientia.

Obedientia ſi recta fiat, juſtitiæ naturalis portio. Semper enim juſto mandato ſuperioris qui ſubditus eſt, parere debet. Unde quia Dei præcipientis mandata ſemper juſta ſunt, ſemper eſt eis obediendum. Reliquorum verò mandatis obedire indiſcretè indiſcretio eſt. Apoſtolus *ad Galat. ult.* neq; angelis de cœlo obtemperandum aliter annunciantibus aut evangeliſantibus, præter id quod acceperant. Vult omnis præcipiens obediri ſibi, ſed non eodem ſpiritu ductus. Vult ſanctus prælatus obedientiam, quia profectum ſperat obedientis. Vult corruptus prælatus obedientiam ſubditorum, ut pro libito dominetur. Inter hæc non diſcernentes quidam indifferenter & effrenè dicunt, ſemper obediendum. Et quòd ſi nullus reliquus fructus inſit, ſatis tamen ex illa prompta obedientia ſit, ſi propriam voluntatem abneget, quaſi propriæ voluntatis abnegatio ſemper bona ſit, allegantes illud Bernhardi: Nihil arſurum in inferno, niſi propriam voluntatem: neſcientes iidem ipſi omnem ibi voluntatem propriam fractum iri. Non ergo propriam voluntatem frangere ſemper bonum illis, quibus frangitur, niſi altiore illorum non fracta voluntate frangatur. Verùm alii volunt: Monaſticam aut Eccleſiaſticam pacem, ac per hoc & charitatem turbari & lædi. Charitas autem ſemper ſervanda, qua-

Dei mandatis ſemper obediendum, aliorum non ita.

Intentio boni prælati, & corrupti.

Error volentium omnibus obediri.

Propria voluntas quomodo abneganda.

re etiam ſemper obediendum. Hi ſi diſcretè penſarent verbum charitatis, non tam præcipitem indiſcretæ obedientiæ ſententiam ferrent. Eſt tamen charitas Dei, eſt charitas hominum, & in hominibus diligendis ratio quædam habenda, quo majora illorum bona magis diligantur, & adeò magis, ut propter majora bona aliquando minorum jactura fiat & diſpendium. Pax fraterna, ſi cum charitate fraterna ſalva ſervari poſſit, ſemper quærenda. Alioquin in periculo charitatis (quemadmodum in tempeſtate frumentum projicitur è navi) temporalis domeſticorum pax projicienda. Non enim cum errantibus, cum immundis, obſcuris, cum prophanis pax habenda. Quæ enim communio luci ad tenebras? Non ergo vel propter pacem, vel propriæ voluntatis abnegationem omni præcipienti ſemper obediendum.

Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, quomodo intelligendum.

Dicit Petrus: Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Principaliter hoc verbũ de præpoſitis intelligens, debent enim fideles populares prelatis ſuis eſſe ſubditi, tam docentibus credendo, quàm præcipientibus obediendo. Sic tamen, quòd meminerint ſe ad hæc aſtrictos propter Deum. Hoc eſt, ut primò ſuam credulitatem in Deum & in Evangelium referant: primò ſuam obedientiã in Deum offerant. Unde quòd populus paſtori ſuo credit, ſi ſanè credit, propterea credit, quia Evangelio conforme credit. Et ſi putaret paſtorem ſuum difformiter prædicantem, non crederet, neq; obediret contra legem præcipienti. Hoc enim eſt ſubjectum eſſe omni creaturæ propter Deum, paſtori credere propter Evangelium, præceptis & exemplis parere propter legem. Evangelium veritatem habet, lex preceptum, exemplum magnum audiendi, quantò verba Evangelii obediendum, quantò præcepta legis imitandi.

Quare prælatis credendum & obediendum, & quatenus.

Hinc

Hinc jam clarè liquet, quanto in credendis ad credendum prælato doctor ex officio subjiciatur. Si enim verè doctor est, sicut esse debet instructus & exercitatus, debet per exercitatos sensus vel æquè, vel magis nosse veritates sacrarum literarũ quàm non doctores, non exercitati prælati. Et hoc saltem ex debito, verùm de facto apertiùs aliquantò claret. Et qui revera meliùs & clariùs Theologicam veritatem novit, nõ in credendo subjiciatur asserenti, minusq; cognoscenti. Omnes enim in credendo primò subjecti sumus Evangelio, ut neq; angelo de cœlo aliter docenti, neq; S. Paulo ipsi per Epistolam sit credendum. De exemplis aliqua mutavit Ecclesia: puta in tempore, loco, mensura fractionis panis, propter finem dissimilem, fructum disparem in posteris & priscis. Non quòd exemplum Cœnæ mutaverit, hoc enim jam præcesserat immutabile, sed quòd primam imitationem ritu mutaverit, unde etiam legis præcepta quædam immutavit, sed Evangelium nunquam præsumpsit immutare. Quod enim vel imitando, vel obediendo mutabile credidit & mutavit, propter immutabilem Evangelii veritatem immutavit. Illa enim lux est ad obediendum & imitandum. Unde tanta necessitas est verè scienti Evangelium, tanta necessitas Evangelio, ut nulla multitudo, nulla celsitudo movere debeat scientem discredere. Propter Deum enim Evangelio credimus, & propter Evangelium, Ecclesiæ & Papæ, non Evangelio propter Ecclesiam. Unde quod Augustinus de Evangelio & Ecclesia dicit, originis de credendo verbum est, non comparationis aut præferentiæ. Dixit enim Apostolis Dominus Jesus: Prędicate omni creaturæ, docentes eos servare quęcunq; præcepi vobis. Non igitur audiendi, nisi quantum missi: non missi, nisi cum Evangelio: non evangelizantes, nisi secundum Evangelium. Sed quia verisimilius est unum aliquem penes Evangelium toti multitudini cõtradicentem errare, quàm totam

Quantum doctor in credendis prælato subjiciatur.

Evangelii veritas lux est ad obediendum.

Quando unus contradicit multitudini,

totam doctorum virorum Ecclesiam: ideò debet quicunq; ille fuerit, semper suspectum se habere, & formidare de errore. Verùm quia scit non impossibile multos doctos errare, debet semper apparentem Evangelii veritatem primò amplecti. Debet igitur secundò diligenter inquirere veritatem & intelligentiam Evangelii. Debet tertiò rationes contradicentium diligenter attendere, & illi parti, quam viciniorem Evangelio invenerit, firmiter adhærere.

quid & quomodo agendum.

De Scribis & Pharisæis audiendis, quomodo intelligenda verba Christi.

Ex illo verbo Domini Jesu: Semper in cathedra Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæ dixerint vobis servare, servate & facite: multi prælatorum Ecclesiæ trahunt erroneam & falsam intelligentiam. Putant enim ex hoc verbo datam eis authenticam potestatem, ut obligare possint auditorem ad servandum & faciendum quæ dicunt. Et errant alii penes latitudinem horum verborum. Putant enim propter latissimam distributionem verbi, cùm dicitur, quæcunq; dixerint servare, servate & facite: sed isti faciliùs reducuntur ad rectum. Facilè enim videre est, quòd non omnia eorum verba quæ dicunt, servare & facere oportet. Non enim illorum insidiæ, non publicæ expresè & pertinaciter assertæ perfidiæ verba servanda vel facienda, non Scribarum & Pharisæorum blasphemiæ servandæ vel faciendæ, si dicunt in Beelzebub Dæmoniorum principe Dominum Jesum ejicere Dæmonia: si dicunt, quicunque juraverit in templum, nihil est, qui autem juraverit in auro templi, debet. Cùm eos tales dicentes Dominus Jesus fatuos & cœcos appellat, nunquid adeò desipiendum, ut fatuos & stultos duces sequamur? Ante fortassis dicent, Dominum Jesum cùm hæc diceret, illa non meminit ante dixisse? vel cùm illa prædiceret, non prævidit hæc postea se dicturum. Præterea

Non omnia Scribarum verba audienda.

cavere

cavere jubet à fermento Pharisæorum, & exponit in textu, ab hypocrisi doctrinæ eorum: qui præcipit omnia facere & servare quæ dicunt, idem Dominus præcipit, cavere à fermento doctrinæ eorum. Oportet igitur auditorem Scribarum & Pharisæorum simplicem esse, ut columbam, ut nihil nisi bonum granum quærat: sed insuper prudentē & sapientem, hoc est, prudentes astutias non ignorare, ut norit omnia Scribarum & Pharisæorum probare, sed quod bonum est in illis tenere solum: hoc discretionis spiritu præditos esse oportet fideles auditores. Non enim habent Scribæ & Pharisæi pręceptivam potestatem, ut princeps Sacerdotum habebat, & sub eo ordinati. Sedebant enim super cathedram doctrinæ, nō super tribunal aut solium, sicut hodie apud nos doctores vel prædicatores. Sed primus errorum, qui non tam latus est, plus aliquid laboris habet propter concessam præsidentibus potestatem regiminis. Sed perspicaciter dijudicantibus eadem statera præcepta populo in assumendis prælatorum præceptis, quæ in audiendis corruptorum doctrinis. Oportet enim tam prælatorum quàm doctorum pręcepta sic servare & facere, quemadmodum Paulus monuit, hoc est, quamdiu in cathedra Moysi sedentes, secundum Moysen dicunt, & si quid extra vel contra, non magnoperè ligat fideles contra legem perfectæ libertatis. Dei enim servi sumus, non Papæ, cui utiq; serviremus, si ad omnia ejus qualiacunq; obligaremur. Dictum est autem: Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Dei servi sumus, non Papa.

De cæcitate & fatuitate Scribarum & Pharisæorum.

Qui jurat in templo, jurat in eo qui habitat in eo, & qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum, *Matth.23.* Qui jurat per creaturam Dei sui, rectè jurat per creatorem ejus. In hujusmodi si fatui & cœci Scribæ & Pharisæi contrarium dicant ac doceant, nunquid propter superiora ver-

ba audiendi ſunt, contra verum & unicum magiſtrum? Certè nunquam, niſi quando ſecundum illum docent, & ad illum ducunt. Stultum enim & cœcum ducem nemo ſequitur, niſi cœcus. Unde non ſolùm & Phariſæos ſtultitiæ & cœcitatis duces innuit ibi Dominus Jeſus, ſed etiam ipſos populos ductos ab eis. Dicit enim: Fatui & cœci duces cœcorum. Stultus revera & cœcus eſt, quicunq; ſtultum & cœcum ſequitur. Et quando volebant mittere manum in Dominum Jeſum, laudatur turba, quorum timebant lapides, non audentes reſpondere propoſitæ quæſtioni de baptiſmo Johannis. Et ſi turba temerarios metu lapidationis eos ab inſano auſu non repreſſerit, ſequenti Paraſceve, dignè per S. Auguſtinum vituperatur, & ſceleris in Chriſtum particeps facta eſt. Dominus Jeſus poſt ſeptem illa Væ, Scribis & Phariſæis comminata, vocat eos nomine Hieruſalem, quicunq; doctrinam & paſtorale officium profitentur, & nihilominus veritatem & rectitudinem ſuppeditant. Inquit enim: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur. Quòd autem ſolos hos nominet, patet ex verbis textus, cùm ſubdit: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce manifeſtè tres partes: Prima, Hieruſalem: ſecunda, filii Hieruſalem: tertia, Dominus Jeſus, qui vult congregare filios quemadmodum gallina. Secundi, ſunt filii Hieruſalem congregandi ſub alas gallinæ. Tertii ſunt, nolentes congregari ſub alas gallinæ, ſeductores & cœci, & ſtulti paſtores ac doctores. Hîc jam quæro, ſi qui de tertio ordine doctores & paſtores gallinæ volenti congregare, velint ſtudiis gallinæ obſtare & contradicere, quem debent audire pulli gallinæ? Licet dicat Dominus Jeſus: Omnia quæcunque dixerint vobis ſervare & facere, ſervate & facite. Certè niſi cœci & ſtulti fuerint pulli, confugient ad alas gallinæ, quantumlibet noſter mercenarius paſtor

Subditi participes ſceleris in Chriſtum, quia non reſtituerunt principibus Sacerdotum.

Quòd pulli ad alas gallinæ debeant confugere.

pastor vero pastori oblatret. Sed quare Dominus Jesus tam latam distributionem expressit, nisi ut nostram diligentiam scripturarum collatione mutuo congruentium ac declarantium collatione exerceret? Non enim ita attenderemus expressum, quam sapit exercitatione inventum, ut habeat exercitium sapientiæ & veritatis meritum suum.

re, quantumlibet mercenarius pastor oblatret.

Intentio Christi, quando prædicatores & pastores non sunt audiendi.

Valdè notanda intentio Domini nostri Jesu Christi, qua ubi finali discursu totius Evangelii, *Matth.24.* concluditur, non audiendos doctores, prædicatores, pastores, quando & contra debitum suum inofficiosè docent, prædicant, pascunt, uti sunt hypocritæ, ostentatores, qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.

Hypocritæ.

Ambitiosi, qui quærunt primos discubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis.

Ambitiosi.

Vani, qui in vanis oblectantur, volentes in foro salutari, & vocari ab hominibus Rabbi.

Vani.

Avari, devorantes domos viduarum.

Avari.

Ficti, quia occasione & prætextu longæ orationis.

Ficti.

Corrupti & pestilentes, quia cùm habeant creditam potestatem regni, neq; ipsi ministerium pietatis exercent, neque alios volentes fideliter exercere sinunt. Hos eis Dominus Jesus improperat, cùm dicit: Væ vobis Scribæ, Pharisæi, hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum coram hominibus, vos autem non intratis, & ingressuros non sinitis, &c.

Corrupti.

Pseudodoctores, docentes populum falsa contra veritatem fidei salutaris, ut illi, de jurando in templo & in altari non teneri, sed obligari ex juramento, qui in dono oblato juraret.

Pseudodoctores.

Perversi, culicem excolantes, camelum glutientes, majora legis negligentes, & circa minora sæveri, perversi.

Mandatorum hominum districti exactores, divinæ voluntatis conculcatores, quia nolunt subditos suos congregari sub alis foventis gallinæ salutaris. Hujusmodi cùm sint, subditi tamen quibus regnum cœlorum appropinquavit, quem duorum sequentur? an eos qui non ingrediuntur, & volentes non sinunt? an eum qui per omnem vitam nostram semper ad misericordiam præstò est congregare eos velut pullos sub alis suis? In tali ergo casu tenentur matrem gallinam audire: Non falsos, vanos ostentatores, ambitiosos, avaros, perversos, pseudodoctores, pestilentes prædicatores, stultos, cœcos, cœcorum duces prælatos. Tenentur tamen subditi sustinere eos in ministerio, quamdiu sustinentur facere & servare quæ benè & sanè dicunt, ubi malè dicunt vel docent, non debent eis obedire, nisi velint cum cœcis cœci esse, & ab alis gallinæ & regno cœlorum excludi, & à pestilentibus corrumpi & infici. Quomodo enim non pestilentes & mortiferi, quos Dominus Jesus vocat serpentes & genimina viperarum? Expresè enim dicit Apostolus: Colloquia prava corrumpere bonos mores. Quorum ergo colloquia prava magis quàm corruptorum doctorum, prædicatorum, pastorum, presbyterorum, prælatorum? Horum sermo sicut cancer serpit, non solùm sermo, sed exemplum pravum. Pronum enim omne malum ad imitationem. Sed quicunq;, sive Papa, sive pastor alius, unum de pusillis istis scandalizaverit, hoc est, à rectitudine, à profectu viarum Dei per prava dogmata, neglecto ministerio, corrupto exemplo impediverit: expedit magis ut mola asinaria ligatur in collum ejus, & in profundum maris demergatur, quàm sic pestilenter præsideat & corrumpat.

Cœci duces nec audiendi, nec sequendi.

Quando prælatus vel pastor ab officio expellendus.

Omnis prælatus pusillos scandalizans est Antichristus.

Omnis igitur quantumlibet in dignitate præsideat, quantò pusillos scandalizat, & à puritate viarum veritatis & vitæ

contra

contra Christi voluntatem retardat, tantò est Antichristus, quoniam omnis talis contra Christum conatur, ut scilicet perdat, pro quibus Christus fudit suum sanguinem. Quid enim aliud est perdere, quos Christus salvare per mortem nititur, quàm Christo obsistere? Christus vult per obedientiam salvare, multi prælati per inobedientiam præceptorum & corruptũ exemplum non curant scandalizare per omnia illa, quæ Dominus Jesus, *Matth. 24.* commemorat ad plebem. Hæc si vera sunt, ut mihi videtur, nisi meliùs informer, oportet ex superioribus rationibus per quemlibet bonum virum parvulos admoneri, ne scandalizentur. Sed nisi in particulari de singulis deformitatibus & pestilentibus prælatorum corruptis exemplis admoneantur, minus vitare poterunt. Hæc si doceamus, mox hypocritas, ostentatores, ambitiosos, vanos, illecebros, avaros, prælatos, non solùm contra nos, verùm & contra commissum populum concitabimus. Licet Dominus Jesus, qui scandalum passivum prohibuit, omnium scandalizantium dedecora publicè prædicavit in populo, *Matth. 23.* non solùm scandalizantium dedecora detegens, sed & æternum væ scandalizantibus denuncians. Verùm qui hoc Domini Jesu exemplum sequi volet, sciat, quia Dominus Jesus quando hoc prædicavit, jam paratus erat crucem bajulare, cujus qui nolit sequi exemplum, sinat scandala quieta passim pullulare. Semper enim videndum, ne medicina morbo nocentior sit, propter tempora periculosa. Et unde periculosa? nisi propter corruptam vitam passim prælatorum Ecclesiæ. Hæc licet ad Scribas & Pharisæos Dominus Jesus dixerit, non tamen propter illos, quibus regnum Dei mox postea auferendum, sed in longinquum doctrina respexit, scripta propter nos, quibus à nostris pastoribus, prædicatoribus, doctoribus, quando non sani fuerint, simile periculum impendet. Expressè namq; Dominus Jesus in fine hujus cap. 24. duo

Persecutio propter verbum veritatis concitatur.

Necesse est ut doctor veritatis crucifigi cum Christo sit paratus.

genera ſervorũ vocat ſuper familiam ſuam conſtituendorum. Notat quoſdam fideles & prudentes, dantes familiæ eſcam in tempore.

Subditorum cœcitas vel ſtultitia non eos excuſabit.

Alios ſervos malos, ex mora Domini malam & ſtultam fiduciam capientes, comeſſantur, inebriantur, extolluntur, ſuper conſervos tyrannidem exercent. Quicunq; illorum exemplo corrumpitur, ut cum eis in foveam cadat, non excuſabit illum ſua ignorantia vel cœcitas, vel ſtultitia. Si quis per cœcitatem & ſtultitiam ſcandalizatur, cœcus & ſtultus eſt, quia per propriam cœcitatem illorum corruptelas adeò probat, ut ſequatur in corruptelam. Qui verò per ſanam doctrinam & bonum exemplum ſcandalizatur ut pejor fiat, hic non inter puſillos habendus, ſed inter Scribas & Phariſæos, qui ſapientiæ conſilia reſpuit, hic Prophetas lapidat & occidit, hujus interitu ſapientia gaudebit & ridebit. Paſſivum ergo ſcandalum duplex eſt: quoddam puſillorum, quo puſilli ſcandalizantur: alterum Phariſæorum, de quo Dominus Jeſus, melius eſſe ut ſcandalizentur, quàm ut veritas taceatur. Puſilli ſcandalizantur ex malo, Phariſęi ſcandalizantur ex bono. Aſſumitur quandoq; ad regimen, qui non aſſumitur ad ſapientiam, cujus eſt autoritas abſq; dignitate in ſola poteſtate. Sed quia nulla data poteſtas contra ſapientiam & veritatem, non deferendum ducatui cœco, quia qui cœcum ducem ſequitur, & qui in foveam cadit propter cœcitatem ducis, non propter autoritatem ducis, minus cadit.

Cœcus dux non ſequendus,

Quantum ſubditi prælatis & ſuperioribus ſuis obedire obligantur.

Conſideratu dignum, quantum debeat ſubditus prælato ſuo, & inferior ſuo ſuperiori. Hoc enim debitum non eſt conditionis, ut ſit debitum abſolutè, ſed magis eſt pacti cum prælato. Non enim ſuperior dominus eſt inferioris, licet inferiores

res dominos eos vocent, & ſuperiores aliquando juſtis cauſis perferant. Niſi tamen ſuperiores juxta debitum pacti, legi pactorum æqui ſint, non tenebitur ſubditus integro debito, ſed quantum ille legem ſuperioris implet, eatenus debitor eſt ſubditus.

Unde ſi prorſus legem ille prælatorum abjecerit, jam tunc nullo debito ligatur ſubditus. Omnis enim illa ſubjectio voluntaria & ſpontanea eſſe debet, quare non ſubeunda, niſi cum deliberatione. Deliberatio autem cauſam conſiderabit & fructum. Unde quandocunq; cauſa cum fructu ejuſcemodi ſunt, ut movere poſſent deliberantem ante contractum, pari ratione ſolvunt obligatum, quando alter contrahentium deficit in promiſſo. Ferè enim ex natura hujus obligationis eſt, ut ſubditi ſuperiorem ſibi eligant, quatenus talem eligant, in quo & ex quo ſuæ deliberationis fructum, & cauſam proximè conjectent. Videntur autem omnium cautiſſimè agere in eligendo mendicantes, qui quotannis electionem ſibi renovant, licet non in ſingulis annis novum ſibi eligant. Sed ſi non eſſet, cui tutè ſe committerent, poſſent in ejus locum alium eligere meliorem. Si enim cum ſtatu mutato mutaretur in pejus, expediret utriſq; diſcedere. Quod ergo de matrimonio ſponſi & ſponſæ fingunt inter Epiſcopum & Eccleſiam, debitæ fidei ſacramentum eſt, non indiſſolubilis vinculi, alioquin caſu nullo libellus repudii locum inveniret. Quia verò non ſponſus eſt, ſed paranymphus eſſe debet, cùm tamen ſæpè non ſit. Deberent ergo ſemper dejici à dignitate, quando indigni eſſent præſidentia. Indigni autem ſemper, quando ſolum infructuosè. Suſtinentur autem, & id majorum incommodorum timore, ſicut & meretrices in civitatibus. Deberet etiam ſimile eſſe de regibus: unde in omni Republ. benè inſtituta, ſummus magiſtratus vel tempore, vel autoritate, ut vel annuus tantùm ſit, vel ſuffragiis

Indigni prælati quare ſuſtineantur.

fragiis

fragiis consentientium ab insolentia compescatur. Quid enim electio signat, nisi libertatem deliberantis? Oportet enim parere meliori, & hunc debet electio conjectare, à quo quantum electio deficit, pro tanto ei non est obediendum: unde etiam perfecti viri, quantum honestè possunt, sese subtrahunt ab eis, & exemptiones quærunt, & habent in multis ex jure communi. Ex hoc fundamento non solùm regibus non parendum in malis, verùm etiam jure deberent regno turbari, nisi majore damno timerentur accepta mala resartum iri. Sed publico consensu impensæ & opera perditæ, quando suscepta plaga priore vulnere resarcitur.

Mali principes quatenus tolerandi.

Quòd magis sapienti quàm Papæ consentiendum.

Ubi sapiens à Papa discrepat, potius & magis est sapienti quàm Papę standum aut consentiendum. Quia sententiam excommunicationis à sapiente latam Papa absolvere non potest, qualis est illa sententia: Qui non amat Dominum Jesum, anathema sit. Hanc sententiam Papa absolvere non potest, neque vinctum per eam absolvere. Manet autem quisq; tantum recisus à Deo, & excommunicatus, pro quanto Deum non amat, licet sit in statu salutis & gratiæ, communionem tamen illam nuptialem amplexuum & osculorum non participat, quam sentit amans. Multum enim differunt inter se desiderans, diligens & amans: unde timens Deum, excommunicatur à gradu desiderantium, desiderans à gradu diligentium, diligentes à sublimitate ac dignitate amantium.

In contradictione Papæ & sapientis, quid agendum.

Papa tenetur sequi sapientem.

In casu simultatis & contradictionis inter Papam & sapientem, non solùm Papa tenetur audire & sequi sapientem, & sapiens in his, quibus verè sapiens, hoc est, in quibus creditur sermo verę sapientię, secundum immaculatã legem Domini, nullatenus debet à sua sententia discedere, & sequi Papalem autoritatem.

ritatem. Sed etiam omnis Ecclesia fidelium, quæ cognoscit rectum sermonem sapientiæ, debet similiter adhærere sapienti. Factum hoc nuper in consilio Constantiensi, quando Johanni XXIII. dissenserunt fideles, & Johanni Gerson consenserunt. Quis enim hodie contradicentibus ac dissentientibus Eugenio ac Bernhardo Clarevallense, non Bernhardo magis quàm Eugenio cohæreret? Docet hoc exemplo suo Eugenius, qui severas illas monitiones & correptiones de consideratione plurimas tam desideranter acceptavit. Pontificum igitur mandata quantum obligent, ad Theologum diffinire spectat, si tamen verè theologizet. Quis est hic, & laudabimus eum. Plus igitur consensu sapientum Ecclesia in unitate, quàm prælatorum regimine continetur, quia sapientum consensus efficaciter à Deo dirigitur: prælatorum regimen sæpè non ita, ut quando cœci cœcos ducunt, vel deserunt, vel errare sinunt.

Ecclesia fidelium sapienti debet adhærere non Papæ.

Quòd sæpè verus Papa est Pseudoapostolus, verus prælatus falsus pastor.

Verus prælatus est, qui legitimo titulo in cathedra Petri sedet. Justus verò titulus censetur, qui vel Canonica electione, vel superioris collatione provenit. Sequitur igitur, quòd sæpè verus Papa est pseudoapostolus, verus prælatus falsus pastor, verus præsidens falsus Episcopus. Oportet ergo populum sæpè perferre Pseudoapostolos & Evangelistas, pseudoepiscopos, pseudopastores, alioquin pejor fiet scissura.

Papa quando non ædificat, nihil facit, nisi periculosè.

Papa debet esse prudens & fidelis servus, quemadmodum ægroto medicus peritus ac diligens. Unde sicut ægroto medicus imperitus aut negligens nihil facit, nisi periculosè: sic summus Pontifex, quicquid nõ fida & sapiente integritate facit, aut contra hæc facit, nihil est quod facit. Quia constitutus ut ædificet, quando non ædificat, nihil facit. Qui constitutus ut dispen-

ſet, qui non fideliter diſpenſat, verè diſſipat. Sub temulento & perfido mercenario paſtore grex perit. Cui ebrio, ſomnolento, ſecuritatem promittenti, nemo de grege ſapienter credit. Longè ergo aliter Petro & Apoſtolis, Dominus Jeſus claves regni cœlorum tradidit, aliter noſtris prælatis. Prudens enim & fidelis ſervus conſtitutus ſuper familiam domini ſui, dat eis menſuram tritici in tempore, hoc eſt, pabulum altiſſimum omnium ſtudiorum pietatis ſollicitudine, cura pervigili, oratione, doctrina, bono exemplo, præcedens, proficiens ſubditis, quantum ſolet caput ſanum ac dignum prodeſſe in populo. Noſtris verò prælatis negligentiam, laſciviam, incuriam, pompam, præeminentiam, cenſuram, rigorem, ſecuritatem mandatorum, tutelam conſervandæ prælationis. Has ego non puto claves regni cœlorum, imò puto clavem eſſe Phariſæorum, qua nec ipſi ingrediuntur, cùm per iſta non ingrediantur, & alios ingredi non ſinant, malo exemplo corruptos & impeditos. Quantumcunq; certent pro clave poteſtatis, & verè certent, quia revera clavis eſt, magis clavis eſt, & verior clavis pietatis, ſine qua nihil facit clavis poteſtatis: & ubicunq; fuerit, ſemper invenit ſibi conjunctam clavem poteſtatis. Nunquã per has artes Petrus, Paulus januam regni cœlorum gentibus aperuiſſent. Nunquam ſuo conſilio, ſuo ſtudio, ſuo exemplo duxiſſent, liberaſſent à jugo ſervitutis & corruptionis. Liquet hoc ex familiaribus eorum, qui quantò magis illorum conſcii, tantò ſunt morum ſocii. In omnibus enim cathedralibus Eccleſiis collegiatis, ubi ſunt craſſiora beneficia, ſemper qui claves anteferreas habent, primi ſunt ex domo Papæ & Cardinalium: qui quales in ædificatione ſunt, niſi qualiter ibidem, unde venerunt, inſtituti ſunt? Nunquam hoc faſtu Cardinalium cum Apoſtolis & diſcipulis, vel in Hieroſolymis præſide Romano ac Pontificibus, nunquam Antiochiæ, nunquam Romæ, niſi majoribus armis invito

Prælatorum noſtri temporis tanguntur ſtudia.

Sine clave pietatis, nihil facit clavis poteſtatis.

to Nerone, invito Senatu januam regni aperuisset: januam dico regni cœlorum, quia sui regni fortassis ita potuisset aditum aperire. Sed postquam per Spiritum sanctum charitas diffusa fuit in cordibus eorum, & per charitatem confirmati sunt, & per charitatem & fortitudinem animati sunt evangelizare & pati pro salute credentium, cooperatus est eis Dominus, ut ostium salutis ac regni aperiretur credentibus, non fidem dante Petro interius, sed exterius tantùm seminante verbum Evangelii, in quo nulli vel gratia, vel sapientia, justitia, est magis quàm in libro scripto vel impresso.

Declaratio verbi Apostoli: non est potestas nisi à Deo.

Non perfunctoriè aut superficialiter legendum, aut intelligendum verbum Apostoli ad Romanos: Non est potestas nisi à Deo, & quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Possunt enim qui in potestate tam corporali quàm spirituali errare, & graviter errare, ut in via Dei scandalizent subjectos, & obedientes in mortalem errorem præcipitarent. Liquet hoc de Romanis Imperatoribus, Christianæ fidei & pietatis persecutoribus, quibus forti constantia Laurentius & Vincentius restiterunt. Imò si populus pietate incensus arma contra furentes illos Imperatores movisset, & ita illorum insaniam cohibuisset, non putarem in hac secessione mortaliter populum peccasse. Imò Augustinus necem domini refert in tacitum plebis consensum, quòd principibus molientibus non restiterunt. Et Hieronymus apertè sanctam rusticitatem asserit nocere in Ecclesia Dei, quando destruentibus eam non resistit. Et Ambrosius, unà cum Gregorio, volunt non carere scrupulo societatis occulto, qui manifesto sceleri desinit obviare. Sceleratis ergo potestatibus oportet obviare, nisi velimus occulta societate participare. Verba ergo Apostoli de potestate, sicut alibi moderatur ipse dicens: Non est potestas, nisi

Quòd malis principibus resistendum.

in ædificationem, intelligenda ſunt: quatenus enim ædificat, poteſtas à Deo eſt, & quatenus non ædificat, qui reſiſtendo ædificat, à Deo poteſtatem reſiſtendi habet. Poſſe igitur ædificare poteſtas à Deo eſt. Et qui plus ædificat, plus in poteſtate eſt. Plus igitur in vera poteſtate Paulus quàm Petrus, plus Bernhardus quàm Innocentius vel Eugenius, plus Franciſcus quàm Honorius.

Subditi præcipiuntur monere prælatum.

Præcipiuntur ſubditi monere prælatum. Dicite Archippo: Vide miniſterium tuum ut impleas illud. Imò præcipiuntur ſubtrahere ſe ab omni fratre ambulante inquietè & inordinatè. Igitur multò maximè à prælato corrupto.

Clerus corruptus maximè Eccleſiam deſtruit.

Nemo magis Eccleſiam deſtruit, quàm corruptus clerus. Deſtruentibus Eccleſiam omnes Chriſtiani tenentur reſiſtere, uſq; etiam ad ultimos, puta ruſticos. Juxta illud: Sancta quippe ruſticitas, quantũ Eccleſiam Dei ædificat vitæ merito, tantum nocet, ſi deſtruentibus eam non reſiſtit.

Inſolentia prælatorum & principum oritur ex nequitia & ſtultitia populi.

Omnis error, omnis licentia, omnis inſolentia prælatorum, principum & regum, ex malitia, nequitia, ſtultitia populi ortum habet. Patet hoc ſatis ex bonis, magnis quibuſq; civitatibus, ubi minor principum licentia. Magis autem ex optimè rectis optimorum religioſorum monaſteriis, ubi nihil ſibi licere prælatus æſtimat, præter rectum, & ſi quando aliter putaret, non diu ſineretur. Maximè autem ex facto Johannis baptiſtæ regem arguentis, de his quæ non licebant, inſolentiam regis non admittentis. Et ſi plurima populi pars fuiſſet ejuſdem ſapientiæ, niſi corrigeret, non eum regno ſuſtinuiſſent. Tales igitur uti omnes ſunt principes ex populi peccatis, velut ex originis nido pullulantes. Nihil mirum ergo, ſi vipera ſuo partu dam-

mni-

mnificetur, si in re familiari ac dura servitute calumniam patiatur à principe populus foris: quia nulla damna pietatis ac religionis in Deum persentit. Sentiat foris, ut per sensa foris vexatio aliquando det intellectum auditui, ad sentienda majora interiorum bonorum detrimenta. *Nota.*

De dispensatione prælatorum, unde habeat fundamentum, & quando non opus est eam petere, & quare petitur.

Mandatorum implendorum esse non solùm differentias, etiam ante declarationem Evangelii, sed esse gradus Judæorum Scribæ cognoverunt. Sed & Dominus Jesus sui oris oraculo explanat, dicens: Primum omnium mandatorum, diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima, &c. hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Et confitentem Scribam, hęc esse majora omnibus holocaustomatibus & sacrificiis, Dominus Jesus velut vera confitentem commendavit, nõ eum longè esse à regno Dei. Verum erat hæc duo majora esse omnibus holocaustomatibus. Hic autem gradus majoritatis tantam habet vim, ut in causa coïncidentiæ duorũ legis mandatorum semper majus ac primum mandatum, minoris obligationem excludat. Non enim in lege Dei est contradictio, & ideò servis Dei non est perplexitas. Et super hac veritate solida fundatur omnis pręlatorũ licentia dispensandi. Imò quia in lege Dei contradictio esse non potest, ac per hoc neq; servis Dei perplexitas. Tenetur omnis fidelis Dei servus, mox absq; quacunq; dispensatione minoris mandati sese promptum accingere ad majora, quando non potest utrumq;. Docet Dominus Jesus de coïncidentia duorũ legis mandatorum, de honorandis parentibus, & de offerendis muneribus, quorum primum naturale & necessarium, reliquum voluntarium & liberum. Omnibus enim ho-

Dispensationis fundamentum.

Servis Dei non est perplexitas.

Dispensatio quare petatur.

locaustomatibus & sacrificiis majus est non solùm parentum necessitatibus, verùm etiam proximorum indigentiæ subvenire, etiamsi sacrificium voto & juramento firmaveris. Sed quòd in talibus dispensatio petitur, fit aut propter metum ignorantię propriæ, aut vexationis aliunde.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, ET QUÆ SINT CLAVES ECCLESIÆ: De potestate ligandi & solvendi.

D. Wesselus in quadam epistola de potestate ligandi & solvendi.

Potestatem ligandi & solvendi quomodo Apostoli habuerint.

VErum est, Petrus & omnes Apostoli habuerunt in terris potestatem ligandi & absolvendi, sed hoc ministerio, non imperio. Poterant ministrare verba Evangelii, & credentibus mysteria gratiæ, sacramenta charismatum, præcepta salutis, quæ quicunq; piè recipiebant, verè solvebantur à vinculis Diabolicæ captivitatis. Non autem credo fuisse in arbitrio Petri, quos vellet à vinculo Sathanæ solvere, aut illo ligare. Quemadmodum unus tantùm qui baptizat in Spiritu sancto, sic unus tantùm qui ligat & solvit: ligat, inquam, & solvit imperio. Quo enim imperio Papa solveret, qui nescit solutus, utrum solutus sit à vinculo Sathanæ, an non?

De clave Ecclesiæ non errante.

Tu igitur cautus ad conditionalem, tanquam inexpugnabile vallum refugis, dicens, hoc tantùm firmum fore, quod in hujusmodi Papa statuerit clave non errante, & Christo non reprobante. Quid quæso necessaria conditio illa: Clave non errante? Quænám clavis illa regni cœlorum? Et quis error ejus clavis? Clavem igitur talem ponis quæ errare possit: & simul efficax

efficax & legitima regni, & regni cœlestis clavis est. O formidolosum regnum, cujus portę, serę, vectes, claves hujusmodi sunt, quibus error & falsitas & ignorantia subrepere possunt. Clavis, quam Augustinus explicat, charitas est per Spiritum sanctum diffusa in cordibus filiorum regni. Has duas claves Dominus Jesus ante resurrectionem Petro promisit, quando dixit: Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solveris super terram, &c. Has item claves post resurrectionem non uni, sed unitati donavit, quando insufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Istas duas claves penes Augustini sententiam nequaquam vel Christus aliquando reprobat, neq; aliquando errare contingit. Quia charitatem per Spiritum sanctũ diffusam in cordibus filiorum Dei, Spiritum sanctum clavis regni exponit. Et solvere & ligare dicit similitudine charitatis in consortium recipere, vel dissimilitudine à consortio excludere. Et quia sic in consortium similitudinis recipere, pietatis magis est, quàm autoritatis, quisq; sanctorum, nullo sexu vel conditione prohibetur ligare & solvere. Neq; hanc ligationem Christus reprobat: quia neq; aliquando errare contingit. Si verò clavem errare dicas, quando errat is cui commissæ claves sunt, non verbis pugnam paro. Quoniam ego sententiæ Augustini fixus hæreo, quæ talem nutantium verborum ambiguitatem non formidat, imò sic totus in tuam sententiam accedo. Confitens primum & sanctissimum Papam Petrum graviter errasse, quo postea sciret Ecclesia, non sese ligatam summorum Pontificum determinationibus, quin in diffidentia fidelis omnis teneatur, exemplo sancti Pauli, pro regula fidei, contra Papam in faciem, si non aliter coram omnibus resistere.

Solvere & ligare quomodo potest omnis fidelis.

Addu-

Adducis verbum venerabilis illius viri Thomæ de Curselliis volentis Petro dictum: Quicquid solveris: nõ ei dictum: Quicquid dixeris. Et benè allegatum & dictum verbum ad veritatem. At nondum per hoc satis declaratum, sed plus oportuit adjicere, quomodo scilicet & partim ligaret & solveret, quo verbum Christi clarum & lucidum & indubitatum fieret.

Quomodo liget & solvat minister Ecclesiæ.

Ego autem sic accipio, quòd minister Christi, si secundum traditionem Christi & Evangelii ministraret, sive fidei verbum, sive fidei sacramentum, sive charitatis exemplum: & subditi sive auditores fideliter accipiant, quòd revera fidei & pietatis ministerio solvat & liget in terra, ligata & soluta in cœlis: & quacunq; alia via vel solvere vel ligare tentet, nihil esse quod facit. Nihil enim nisi salutare pietatis ministerium Petro puto & successoribus ejus promissum. Et hoc interim, donec per te aut alios fuero sanius informatus. Neq; parum horrori mihi est verbum illud tuum, quo mones: quòd magis mihi pro ratione esse debet autoritas Papæ. Nunquam Parisiensi facultate Theologica, non dico ratione major fuit, imò nunquam fuit pro ratione Clementis Papæ auctoritas, quando temeritatem illius angelis præcipientem reprehenderunt & correxerunt. Quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio quas vellent elargiebatur. Item quando indulgentias à pœna & culpa publicabant. Horum tamen eorum hodie plumbatæ bullæ reperiuntur. Tu tamen mones in hujusmodi autoritatem Papæ, non solùm pro ratione, sed super rationem mihi esse debere. Quæ quæso in his ratio mea? nónne Scriptura sacra? Nunquid vis Papæ autoritatem supra S. Scripturam ferre? Papæ voluntas, & scripturæ autoritas, nõ æquè constituta sunt. Ut voluntas Papæ secundum scripturæ veritatem, non veritas S. Scripturæ à Papæ voluntate, regulanda sit.

Errores Clementis Papæ.

Et hinc velut minoris momenti fundamento, adjicis prælato-

latorum autoritatem. Et ne quid summè desit, addis insuper doctores, de prælatorum autoritate, quod allegas, non aliud puto quàm principium petere. Doctores pleriq; quantumlibet indulgentiarum concessionem non parvipendendam esse dicant, sed in fide, spe & charitate Christi amplectendam. Neque enim parvipendendam duco, qui devotè in fide, spe & charitate Christi dona Ecclesiæ in clavibus complector. Et quòd præmissa Augustini verba nō contrarientur verbis Domini: Quodcunq; ligaveritis, &c. ostendit magister in quarto, ut sit sensus eorum: Non quoscunq; volueritis ligare, aut putatis ligare, sed in quos verum justitiæ & misericordiæ opus exercetis: aliter opera vestra in peccatores non agnosco, &c. Secundum hanc Augustini sententiam concorditer ad superiorem, solvere & retinere peccata principaliter solius Dei. Ecclesiæ tamen participatione per Spiritum sanctum Ecclesiæ datum principaliter dimittentem & retinentem. Et subdit: Peccata igitur per Ecclesiam dimittuntur, quando aliquis Ecclesiæ sanctorum conjungitur. Et per Ecclesiam peccata retinentur, quando à charitate Ecclesiæ excidit. Jungente vel excludente spiritu Dei Ecclesiæ donato, per quem ordo & ministerium & regimen in Ecclesia, &c. Circa præmissa adducit Hieronymum his verbis: Hunc locum quidam nō intelligentes aliquid suscipiunt de supercilio Pharisæorum, ut innoxios damnare, vel solvere noxios posse putent, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita inquiratur, &c. hæc ibi.

Explicantur verba Christi, quodcunq; ligaveritis.

De clavibus Ecclesiæ quid sentiendum.

Tanta est in universo orbe terrarum diffusæ Ecclesiæ latitudo, tanta est omnium fidelium multitudo, tanta studiorum & voluntatum varietas, ut nullius unius hominis industria, etiam summa diligentia invigilantis, idoneam eorum curam gerere posset, in his quæ ad Deum sunt, imò nec unius quidem solius.

Quotidie non dico, neq; singulis horis, homines aliter atq; aliter in his quæ Dei sunt, habent, sed omnibus momentis, aut excidunt à vita quæ in Deo, aut revertuntur ad vitam Spiritu sancto vivificante, charitatem ac gratiam diffundente in corda eorum. Quæ autem tunc Ecclesiæ clavis reviviscentibus illis Ecclesiam aperuit, ubi nullus Ecclesiæ minister intervenit? nisi clavis illa, quæ cùm claudit, nemo aperit, & cùm aperit, nemo claudit? Clavis hæc Spiritus sanctus est, & gratia Dei data per eum, & charitas Dei diffusa in cordibus vivificatorum.

Spiritus sanctus & gratia Dei est Ecclesia.

Claves regni cœlorum omnes fideles.

Dicit hîc aliquis: Quid ergo Petro datum in verbo Domini? Duo dico data Petro: Primum, claves regni cœlorum, & hæ similiter datæ (licet non æqualiter) omnibus filiis Dei Spiritu sancto vivificante viventibus. Et his clavibus fideles omnē pium admittunt, omnem impium excludunt, quocunq; etiam statu aut dignitate fungentem. Secundum, Petro datum est pastoralis curæ debitum. In quo si officium integrum præstet, duplici honore dignus habebitur. Officium autem hoc in his est,

In quibus Papa à Christo commissionem accepit.

quibus baptizatus cum baptizatis convivere tenetur. In his enim quibus Ethnicus cum Ethnico convivit, Papa à Christo non accepit pastoralem commissionem. Neque in quibus Deo soli officiū suum homo negat aut exhibet, Papa à Christo commissionem accepit: sed in his tantùm, quibus Christiana multitudo invicem communicans, prælatorum judicio innotescere potest. Non enim præcepit Petro, vivificare spiritu mortuos, non dejicere à vita viventes, ut vel det non habentibus charitatem, vel habentibus adimat.

Christus promittendo claves, promisit Spiritum sanctum.

Dominus Jesus quando promisit Petro claves regni cœlorum, ut quicquid ligaret in terris, ligatum esset in cœlis, nihil aliud promisit quàm Spiritum sanctum, & per Spiritum sanctum

ctum charitatem diffundendam in corde Petri. Hoc enim idem tunc promisit, quod post resurrectionem absolvit, quando insufflavit in Apostolos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt eis. Spiritus sanctus datus in cordibus filiorum Dei tantam, gratia, sapientia, charitate, similitudinem operatur, ut prorsus deiformes ac Dii fiant unus cum Deo spiritus, qui sic spiritu aguntur, ut in omnibus viis & actionibus suis purè, rectè, integrè agant: in aliorum judicio sapienter, justè, concorditer Deo judicant. Quos ergo Deo gratos gaudent & acceptant, verè gaudent, verè acceptant, verè mundos judicant, verè judicat etiam Deus mundos, & gaudenter acceptat. Non tamen ipsi mundant, neq; quia illi mundos judicant, ideò Deus eos mundat: sed quia Deus acceptat & mundat & remittit, acceptant & remittunt ipsi motum zeli, quem ante habuerunt adversum illos dum adhuc essent peccatores. Hic jam facilè videre est in sacramentalibus, & justificatione impii, quam habeat prælatus ex officio potestatem. Nam in hac & ex hac Petro facta pollicitatione nihil amplius habet Papa, quàm quantum sortitur de similitudine Petri. Quantum enim in actione per Spiritum sanctum charitate & sapientia agitur, eatenus habet claves, & non amplius.

De potestate prælatorum in sacramentalibus.

Item qui dixit: Quodcunque ligaveris, &c. Idem dixit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in in sua potestate. Et quæ eorum non erat nosse, non fuit eorum posse restituere regnum Israël: multò minus restituere regnum cœlorum, quod majus regno Israël erat. Juxta illud: Si non potestis quod minus est, quomodo quod majus est, poteritis? suæ enim duntaxat potestati Deus hæc reservavit.

De potestate Papæ & prælatorum in excommunicationibus & indulgentiis.

Pari passu autoritatis seu potestatis clavium ambulant indulgentiæ & excommunicatio. Neque plus potest Papa in reconciliandis Deo animabus, quàm possit alienandis. Sed in excommunicandis nihil potest, nisi per forum Ecclesiasticum, foris ad oculum separare, & destituere etiam corpora mortuorum Ecclesiasticæ sepulturæ: similiter in indulgentiis à vinculo Canonum & censuris liberare. Deo autem, præter simplicem usum aut abusum fidei, spei & charitatis, nihil est quod conciliare, aut alienare posset. Non enim reconciliatus Deo per gratiam sacramentalem & charitatem, plus ei reconciliatur arbitrio aut æstimatione Papæ, vel excommunicatione Papę magis alienatur à Deo. Non enim liceret excommunicare, si magis alienaret à Deo. Non enim licet ei facere magis peccatores, &c.

Fidelis servus & prudens quis sit.

Fidelis & prudens in domo Domini sui servus, nihil facit præter & extra voluntatem Domini sui: & quicquid facit in domo Domini sui, Dominus ratum & firmum habet. Scit enim omnem voluntatem Domini sui, quia prudens, & eam semper facit, quia fidelis: quicquid ergo vult prudens & fidelis servus, vult & ratificat Dominus ejus. Firmum ergo est & ratũ in cœlo, quicquid fidelis & prudens servus desiderat, quicquid odit, quicquid detestatur, quicquid laudat, approbat, favet, judicat mundum, pollutum. Nec ad hoc eum ordinis dignitas authenticat, sed charitas per Spiritum sanctum diffusa in corde. Fit ergo ut horum desideriorum, favorum & judiciorum ratitudo, non ex autoritate prodeat, sed ex conformitate ad rectitudinem primam primo judicantem, solventem primo aut ligantem primo. Cui quantum judicando conformatur rectitudine, tanto etiam sociatur autoritate, & participat in bono opere.

Non ordinis dignitas, sed charitas solvit & ligat.

Non

Non enim in ligando aut ſolvendo præcedit ligantium aut ſolventium hominum judicium, ſed ſequitur. Et hoc ſignificat in verbo ſuo Dominus Jeſus: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, retenta ſunt eis. Quaſi apertiùs diceret: Quorum peccata per acceptum Spiritum ſanctum retinueritis, aut remiſeritis, procul dubio retenta aut remiſſa ſunt. Sed quiſquis fidelis & prudens eſt in domo Domini, hic Spiritum ſanctum accepit, neque vel impudenter, vel infideliter, vel contra Spiritum ſanctum remittit peccata, aut retinet, neq; Deo præjudicare contendit. Et facilè quicquid poſt judicantem Deum prudenter & fideliter judicat, ratum inveniet in cœlo. Neq; ad hæc plus facit autoritas prudentis & fidelis Epiſcopi præter miniſterium, quàm flagrans chritas fidelis & diſcreti juſti. Imò neque ſexus fœmineus obſtat, quin ſi fidelis & prudens charitatem habeat diffuſam in corde ſuo, poſſit & ipſe conformiter ſentire, judicare, favere, diffinire divino judicio. Hujuſmodi enim claves, verè claves regni cœlorum ſunt, quibus omnibus filiis Dei regnum aperitur, & efficaciter januam regni aperiunt.

Non plus facit Epiſcopus quàm alius fidelis præter miniſterium.

De duplici ſacerdotio.

Duplex eſt ſacerdotium: unum ordinis & ſacramentale: alterum naturæ rationalis & commune omnibus. Secundum ſine primo ſatis eſt. Primum ſine ſecundo reatum habet. Secundum gratiam affert. Secundo Antonius ſupra multos Epiſcopos, & coriarius ſupra Antonium.

Apoſtoli conſecrabantur & inungebantur in Spiritu ſancto. Quoniam Spiritus ſanctus ipſe eſt unguentum, quod nobis Chriſtus ſua morte promeruit. Ideoq; omnes baptizati ſumus & inuncti in morte Chriſti & in Spiritu ſancto. Invenimus namque Chriſtum conſecraſſe Apoſtolos & diſcipulos: receperunt enim omnes unguentū Spiritus ſancti. Nullo quidem alio oleo

Chriſma novi teſtamenti eſt Spiritus ſanctus.

Consecratio Sacerdotum.

ſeu chriſmate uſus eſt Chriſtus in Epiſcoporum & Sacerdotum ſuorum conſecratione. Sed propter reverentiam ac dignitatem ſancta Eccleſia plurima ordinavit, quibus cultus ſacramentorum redimitus eſt, quæ in primitiva Eccleſia fieri non ſolebant. Apoſtolus *ad Hebr. 4.* Impoſſibile eſt ſanguine hircorũ aut taurorum auferri peccata. Non ignorabat Apoſtolus legalia ceremonialia divinitùs fuiſſe inſtituta, & eodem autore quo novæ legis ſacramenta, unde ut quæcunq; ſacramenta eſſent, neceſſe erat ut filius veniret, ut ſingulari ſacrificio placens faceret Dei ſui voluntatem: eadem etiam ratione de ſacramentis novæ legis. Adeò enim impoſſibile eſt aqua vel oleo peccata auferri, quatenus hircorum ſanguine, & eodem autore inſtituta ſunt.

Peccatorem Sacerdos non ligat.

Valdè in abſolutione fori pœnitentialis conſiderandum, quòd peccator tenetur ligatus vinculo, quo Sacerdos eum non ligat. Peccatum enim duntaxat ſeparat à Deo, quia illi ſoli peccatur, cui ſi unitus fuerit, mox à vinculo mortis iterum ſolutus liber eſt in actum amoris, honoris & ſancti timoris. In hanc libertatem quiſq; reſpirare poteſt per nomen Jeſu, & per nomen Trinitatis, & per nomen Domini credendo cum pietate, quia turris fortitudinis nomen Domini. Quia qui credit in Jeſum, hic habet vitam æternam, quia vivit adeò, ut poſſit ordinatè creſcendo proficere: fides enim veram vitam habet. Non tamen hìc volo quin debeant confiteri, ubi commodè poſſunt, ut qui vivificè vident, magis videant, & qui verè vivunt, perfectiùs vivant. Semper enim cum pietate ſubeuntibus efficacia ſunt ad majorem gratiam ſacramenta, niſi quando majoris pietatis fiunt impedimenta. Ut in quibuſdam, vocalem confeſſionem ita ſectantibus, ut majora legis charitatem, cordis pacem interiorem, pſalmodiam impediant. His nõ tam ſacramenta, quàm impedimenta ſunt, quare in quibuſdam ad horam intermittenda. Hoc niſi Paulus, Antonius, Macharius, Arſenius ſenſiſſent,

Quare confitendum.

De vocali confeſſione, quando obmittenda.

magno

magno spiritualium damno latuissent in solitudinibus vacantes ab Ecclesiasticis. Sunt colligationes impietatum, & vincula impiorum, quæ monemur dirumpere: sed hæc non potest Sacerdos potestate sua, nec Papa ipse solvere, nisi peccator ipse divinitùs adjutus, ut projiciat à se jugum, quod portabat cum impiis. Potest autē esse minister verbi, & prædicator, quo audiens convertatur, & conversionem ejus desiderare & orare, convertere non potest: unde ad communionem piorum recipere. Nec sunt ulla sacramenta divinitùs ad hoc data, quibus solis efficaciter impius convertatur, sed benè, quibus conversus adjuvetur. Unde secundum ordinē diligendo: primò unitur Deo, quia filius Dei restituitur: deinde filiis Dei frater efficitur, & eorum communitati restituitur. Unde in hac solutione æqualiter per omnes filios Dei in fraternitatem accipitur, sive sit Augustinus in Hispania, sive Papa in Italia. Omnes in hac receptione & participatione sinum charitatis expandunt, ubi divinitùs in filium Dei sumitur. Difficultas ergo multorum in hac materia est ex confuso intellectu, rem à re non discernentium. Quia si discernerent, profectò non ita fluctuarent, neq; tam ambigui confunderent. Multa enim mala in populo Dei ex verbis confusè prolatis, ut ignorantia, ambiguitas consiliorum, inopia, perplexitas, error, hæresis, præcipitium, corruptio gregis, &c.

Solis sacramentis impius non convertitur, sed conversus adjuvatur.

De modo quo peccator Deo & Ecclesiæ reconciliatur.

Non est in morte qui memor sit tui, in inferno quis confitebitur tibi?

Nullus autem confitetur nisi memor. Nullus memor nisi justificatus ad vitam. Nemo vivit, manens gehennæ filius. Patet ergo, quòd antequam quis confiteatur peccatum suum, jam à reatu suæ prævaricationis, quo æterna sibi supplicia debebantur, per gratiam internæ compunctionis absolvitur, *August. de pœnit. cap. si cui,* & arguit ibidem sic. Si ergo antequam quis confiteatur, resuscitatus vivit dum confitetur: sicut antequam resusci-

Antequam quis confiteatur est absolutus.

suscitaretur à mortuis confiteri non poterat, sic post resuscitationem mortuus confiteri non valet: restat ergo ut resuscitatus vivat, dum peccatum confitetur. Habet utiq; suum resuscitatorem præsentem, seq; inhabitantem: quoniam, ut subdit ibidem, sicut corpus absente anima vivere non potest, ita nisi Deo præsente, inhabitante, vivificante, anima vivere non potest. Habet itaque anima sibi Deum præsentem per gratiam, quæcunq; vivens peccatum suum confitetur, eamq; jam Deus, qui vita est, inhabitat, quam inhabitando vivere facit. Si autem illam inhabitat, jam templum Spiritus sancti facta, est illuminata. Est ergo à tenebris peccatorum expiata: ergo templum Diaboli esse desiit, quæ ad lucem rediit, cujus respectu tenebræ fugantur. Nulla enim (ut ait Apostolus) conventio Christi ad Belial, aut quæ communicatio templo & idolis? Templum ergo Dei est, in quocunq; sacrificiũ laudis honorificat Deum. Quomodo mortui laudabunt te Domine? Quicunque ergo Deum laudant, magis vivunt, quàm qui sua peccata confitentur Domino adversum se. Plus enim, delectari in Domino, quàm sua peccata detestari: sed majore vita vivit, qui Deum diligit multum, quàm qui sacrificio laudis Deum honorat. Vera igitur satisfactio nihil aliud est, quàm perfecta vita in Deo. Quantò enim imperfectiore vita vivit, tantò adhuc à vita distat: & quantò vivit, tantò habitantem in se vitam habet. Omnis enim qui odit malum, venit ad lucem: sed hujus odii argumenta sunt, confessio, detestatio, satisfactio. Magis est amare lucem, quàm odire tenebras. Qui autem laudat lucem, jam amat: & qui multum diligit, magis amat. Ab his ergo non oportet odii argumenta exigere, sed fovere & promovere in instituto. Non enim à potiore vita revocandi ad inferiorem. Unde erasse puto, si quis Magdalenam propter satisfactionem voluisset ad ministeria eleemosynarũ à sua vacatione revocasse: unde expressè sub-

Animam Deus inhabitat, quam vivere facit.

Satisfactio est perfecta vita in Deo.

sè ſubdit ibidem, poſt pauca. Cùm ergo ante confeſſionem, ut probatum eſt, ſumus juſtificati per gratiam, & filii lucis facti, evidentiſſimè apparet, quòd ſola contritione cordis abſque oris confeſſione peccatum remittitur. Et poſt pauca ibidem: Non ergo in confeſſione peccatum remittitur, quod jam remiſſum eſſe probatur. Fit itaq; confeſſio ad oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ: quemadmodum circumciſio data eſt Abrahæ in ſignum juſtitiæ, quæ erat in præputio, non in cauſam juſtificationis. Ita Sacerdoti offertur confeſſio in ſignum acceptæ veniæ, non in cauſam accipiendæ remiſſionis.

Fides noſtra non homini, ſed Deo obligatur.

Fides noſtra non homini, ſed Deo obligatur.

Credere Domino Deo patri, latria eſt. Unde quod credit Eccleſia, nulli membro Eccleſiæ credit. Credit enim in Deum, & credens in Deum, credit in Jeſum Chriſtum, qui Deus eſt, credit & in Spiritum ſanctum, loquentē per Apoſtolos, Evangeliſtas, Prophetas. Rectè ergo monet Paulus, non credere venienti cuiquam, præter id quod acceperant ab Apoſtolo docente: Etiamſi veniret Apoſtolus ipſe docens aliter, quàm ante per eum docuerat Spiritus ſanctus. Non enim in Petrum aut Paulum credit Eccleſia, neq; in angelum de cœlo, neque in aliquam partem Eccleſiæ, neq; in Eccleſiam totam, ſed in Deum ſolum, in quem & ſperat, & quem credendo & ſperando adorat. Verba tamē Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Prophetarum, ſi quis non loquente per eum Spiritu ſancto afferat, & fideles noſtræ fidei veritates firmiſſimè credit, quemadmodum alibi Spiritu ſancto loquente traditas: unde in talibus licet non loquatur Spiritus ſanctus, loquuntur tamen in Spiritu ſancto, quemadmodum hoc alibi habet Apoſtolus: Nemo loquens, dicit Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto. Quæcunq; ergo ejuſcemodi ſunt, ut ea nemo dicere poſſit, niſi in ſpiritu Dei loquens, id eſt, ea loquens quæ ſpiritu Dei aliquando loquente

Non in Eccleſiam, ſed in ſolum Deum credit Eccleſia.

autoritatis robur acceperũt, ea omnia, per quemcunq; dicuntur, firma fide tenenda sunt, non quia ille dicit, sed quia in spiritu Dei loquens, dicit. Ex hoc jam planè satis patet, qualis habenda doctoribus Ecclesiæ fides, qualis habenda summis Pontificibus, qualis item generalibus Conciliis. Semper enim habenda loquentibus in spiritu Dei, hoc est, ea quæ quandoque spiritus Dei locutus est. In Deum enim credimus, non in Ecclesiam catholicam, non in Concilium Latinum, non in Papam. Probabile tamen est fidelium multitudinem, aut Latinorum fidelium cœtum non adeò divinitùs derelinqui, ut corruptis pastoribus tradantur & deserantur, nisi forte propter altissimas & abditas causas, refrigescente charitate, periculosis temporibus, Deus aliud super Ecclesiam suam permittat, ac det eis pastores erroris. Jam enim etiam generalia Concilia, indulgentias plenarias publicarunt non minus summis Pontificibus Romanis. Dico enim probabile, quia non necessarium dico. Item Latinorum fidelium, quia tot linguæ fidelium ultra fontes Nili, trans Indum, Idaspen, & extra Gangem, quo Latina decreta pertingere non possunt. Dico propter altissimas causas justissimæ & abditissimæ prædestinationis. Dico periculosis temporibus propter abundantem iniquitatem, & refrigescentem charitatem, quia in illis surgent homines quærentes semetipsos, contemnentes Deum, blasphemantes, illusores, quæstum putantes pietatem.

Doctoribus Pontificibus, Conciliis, quatenus credendum.

Non credimus in Ecclesiam catholicam, sed in Deum.

Concilia publicarunt etiam indulgentias.

Contra communem opinionem de monarchia Romani Pontificis est, quòd impossibile homini est, fines orbis terrę nosse, qui nullo unquam cosmographo omnes comprehensi sunt. Quomodo igitur judicabit, quos nosse non poterit? quomodo judicabit fidem, quorum linguam ignorat? Unitatem igitur Ecclesiæ sibi Spiritus sanctus fovendam, vivificandam, conservan-

Contra monarchiam Romani Pontificis.

vandam retinuit & augendam, non Rom. Pontifici, sæpè non curanti, reliquit.

Vnitas Ecclesiæ in unitate fidei & capitis, non Petri vel successoris.

Unam Ecclesiam catholicam confiteri oportet, sed hanc unitatem in unitate fidei & capitis, & unitate lapidis angularis, non in unitate directoris Petri vel successoris. Quid enim potuit Petrus, nisi orare, cùm esset in Italia, pro his qui apud Indos tentatione vel persecutione periclitabantur, licet plus aliquid quàm successores potuerit? Aut quid sub sævissimis persecutoribus, contra doctores errorum in diversis mundi partibus? quæ decreta vel generalia Concilia poterant in unitate hac secunda Ecclesiam continere? Sola igitur prima sub essentialis capitis unitate unitas est, quod symbolum in illo verbo insinuat. Hodie namq; verè secundum verbum Domini, testimonium Evangelii usq; in ultimum terræ receptum, & verè Christiani inveniuntur ultra Hyperboreos, ultra Indos & Scythas, ultra Æthiopes, ultra Tropicum capricorni, quibus locis ac lingua distantissimis, nulla Romani Pontificis, aut nostrorum Constantiensis aut Basiliensis generalium Conciliorum decreta humanitus innotescere possunt, & nihilominus in unitate fidei, pietatis, & veræ charitatis, nobiscum unam Ecclesiam catholicam, & Apostolicam Ecclesiam constituunt: etiamsi Romam, aut Romanorum aliquem Pontificem esse nesciant.

Veri Christiani inveniuntur, qui nesciunt Roman.

Non vinculo fidei, sed charitatis Deus homines colligavit.

Non colligavit hominum societatem Deus fidei vinculo, ut credat alter alteri necessariò, verum esse quod asserit alter, sed colligavit charitate, ut necessariò teneatur alter alterum diligere, etiam peccatorem, quod non oportet credere etiam vera dicenti. Potest enim justa causa timoris subesse, ut non credam etiam dilecto & diligenti, & verum dicenti. Et hoc ex eodem fundamento, quo nemo alterius scire potest, magis quàm si mutus, surdus, cœcus esset omnis homo omni homini: non dico quin plus communicent, sed quo non magis quæ homi-

Papa sæpè errat, ut potest convinci ex decretalibus.

num sunt, sciant. Cùm ergo non homini credere oportet, neq; Papæ oportebit. Valdè enim in ambiguo fluctuaret fides nostra, si illi credendum, qui ipsemet sæpè errat, ut in & ex decretalibus convinci potest: & Rabineus Andegavis, publicè in cathedra arguenti mihi, confessus fuit, inquiens: Si hæc ita sunt, universum nostrum fundamentum falsum est. Si ergo non Canonibus jam solenniter publicatis, aut authenticè roboratis, credere oportet, quia sunt extra sacrum Canonem, non Papæ ulli credere oportet, sed diligere & venerari & obedire, quando rectè officio fungitur.

Iudicio multitudinis quantum credendum.

Debet quisq; privatus de omni celebri multitudine præsumere, quòd in suis definitionibus non erret: quia rationabile & pium id præsumere, non solùm de celebri multitudine, sed etiam de quolibet famoso viro. Sed non tenetur propter hanc præsumptionem præcipitare vel definire, propterea verum esse, quicquid illa multitudo definierit. Quia qui fidem suam Deo secundum S. Scripturam obtulit, quandocunq; aliqua definitio sibi videtur S. Scripturæ contraria, debet sibi ante omnia suspectus esse de non intelligendo scripturas. Et ideò diligenter inquirere, tum rationes & intelligentiam contra definientium, tum sententiam & verum intellectum scripturæ, contra quam ei videntur definire. Sed nunquam contra conscientiam suam sequi multitudinis definitionem, quamdiu videntur ei definire contra scripturam: sic tamen, ut semper paratum se exhibeat credere, ubi melius fuerit informatus. Non enim sine causa statutum est in Conciliis, ut etiam unus contradicens audiatur.

Iudicium multitudinis contra conscientiam non sequendum.

Vtilius exercitium pietatis quàm veritatis.

Quia in amore tota lex pendet, & Prophetæ, utilius erit exercitium charitatis, quàm studium veritatis, non modò ad mercedem, verùm etiam ad profectum cognitionis: propterea enim leguntur literæ sacræ, ut diligatur Deus. Et licet ex dili-

gendo

gendo Deum, ſacræ literæ planæ fiant & apertæ, non tamen propterea potiſſimùm Deus diligitur.

Carnalis homo non ſapit quæ ſancti amoris ſunt: igitur judicare non poteſt. Unde judicium Eccleſiæ, & eorum qui in Eccleſia præſident, quia ſæpè carnales, animales, mundiales, aut Diabolici ſunt, & tamen ſuum officium verè adminiſtrant, ſicut viri ſpirituales & Deo pleni, liquet, excommunicationes & indulgentias, non ad ea quæ charitatis & amoris ſunt ſe extendere, ſed tantùm ad exteriorem pacem & tranquillitatem Eccleſiæ. Unde indulgentiæ ſunt remiſſiones de his pœnis, quas prælatus injunxit, aut injungere potuit. Excommunicationes ſunt ſegregationes à corporali convictu & communione. Nam à ſpirituali participatione timentium & amantium Deum, nullus rejicere poteſt, niſi ſolus Deus.

Prælati Eccleſiæ, quales ſint aliquando.

Indulgentiæ & excommunicationes quantum ſe extendant.

Si qui in Eccleſia Dei errores fiant, ſive per temeritatem, ſive per imperitiam, ſive per nequitiam, ſive malitiam prælatorum in conſtituendo, in diſpenſando, de conſtitutionibus quæſtum faciendo, cenſuras fulminando, indulgentias dando, populum Dei inquietando, dominando, excommunicando: nihil in his magis offenditur verus amator Dei, quàm in aperta infidelium perſecutione: Sanè cui mori lucrum eſt. Adeò enim amor Dei liber eſt, ut non ſolùm non humanis legibus, ſed neque Prophetis & lege Moſi etiam tempore quo adhuc ſtabat, ſubdatur.

In erroribus Eccleſiæ quomodo ſe habeat amator Dei.

Non omnis admittendus ad legendum. Quoniam qui ſine charitate libertatem charitatis vendicat, diſſolutus & effrenis vagatur, ac præceps in omne malum ruit.

Scientia veritatis eſt conjectatrix, ſapientia ſalutis. Poteſt ergo ſcientia eſſe ſupervacua, vana, qualis eſt omnis ſcientia, quæ ex curioſitate ſequitur veritatem. Quemadmodum muliebris garrulitas fatua eſt, quia ſolo fatu ſatietatem quærit. Sic

Differentia inter ſcientiam & ſapientiam.

ſcientia veritatem ſolam, ſed ſapientia ſalutem ex veritate quærit. Quo fit, ut quia multæ veritates parum conferunt ad ſalutem: ideò de illis, qui verè ſapiens eſt, parum etiam curet, & ita recta ſapientia nõ curioſa. Quemadmodum catulis omnis curſus, ſaltus, concertatio, & vinci invicem, & vincere, lacerare & inſultare, pro fructu eſt. Ubi verò ex catulis canes facti fuerint, maturi ad venationem, non jam invicem vanè concurrunt, ſed omiſſis ludis unà ſeriò prædam ſectantur. Quemadmodum ergo jocus & ſerium, ludus & ſtudium, curioſitas & conſilium, quoniam in illis actus, in poſtremis fructus: ita ſcientia etiam & ſapientia diſtant, inter ſe ludentibus, actio ipſa pro fine eſt: ſtudiosè autem negotiantibus ex actu fructus deſtinatur.

Omnes homines natura ſcire deſiderant, quoniam naturalis actus mediæ partis imaginis. Et quia non minùs mens & voluntas imaginis Dei ſunt partes quàm intelligentia: ideò omnes homines natura meminiſſe deſiderant quantum ſcire. Sed quia meminiſſe volumus propter ſcire: ideò videmur magis deſiderare, ut ſciamus, quàm ut meminerimus. Verùm hanc eandem regulam ſequentes, invenimus, etiam ipſum ſcire non finem ultimum eſſe. Qui enim ſcit ut ſciat, ſtultus eſt, quia non ſapit ei ſcientiæ fructus, neq; ſapienter ſuam ſcientiam ordinat. Habet enim cognitio veritatis magnum in ſe fructum, ſi ſapientem habeat colonum. Per eam enim poteſt ſciens accedere ad Deum, ut amicus Dei fiat, ſi cognoſcendo Deum, Deo adhæreat, proficiet paulatim ut guſtet, quoniam ſuavis eſt Dominus, & guſtando concupiſcet, & concupiſcendo inardeſcet, ardendo amabit & vivet Deo, ut unus ſpiritus cum Deo fiat. Hic eſt fructus verus, merus, ſincerus, ſinceræ ſcientiæ, quem verè omnes homines natura habere deſiderant magis quàm vel meminiſſe vel ſcire. Quoniam ſicut fluctuans meditatio fatua eſt abſq; ſcientia, ſic ſcientia ſterilis eſt abſq; amore. Imò quod reliqua

Ipſum ſcire non eſt finis ſcientiæ.

Scientia ſterilis eſt abſq; amore.

qua

quia duo desideramus, ex hoc fonte desideriorum prodit. Videmus enim & certi sumus, nihil tam ab hominibus omnibus amari quàm beatitudinem. Scimus præterea nihil tam amabile, ut amorem: scimus præterea nihil tam debere amari, quàm Deum. Hæc tria si vera sunt, imò quia verissima & certissima sunt, & omne verum vero consonat, necesse est Deum nostrum nobis beatum amorem esse, & ad eum solum naturaliter nos tendere & anhelare, quoniam is nostræ perfectionis terminus & finis, nostræ culturæ fructus verus & solus, ad quem qui non pervenit, stultus colonus est, ut qui meminit, ut meminerit, stultus est: quoniam scientiæ obliviscitur, sapientior aliquantò qui meminit ut sciat. Sed si illic hæret, stultus & ipse est, quia vacuus & vanus manet sterilis de vero fructu suo. Quid enim si firma radice, solido trunco, proceris ramis, frondosa in altum arbor excreverit? si cum grandi pollicitatione multorum fructuum, falsa, mendaci spe frustret expectantem, sic excrescunt in altum philosophi, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspicientes, quia nosse Deum pro fine & fructu habent, velut steriles & aridi reprobantur, & insipiens est cor eorum, quibus non sapit ut ament. Sed quare non amant, cùm sciant & cognoscant eum? nisi quia sciunt eum ut sciant, non sciunt ut existiment: & ideò cùm sciant, non æstimant, & quomodo amarent, quamdiu non æstimant perversi? Ergo duobus potissimis naturalibus desideriis insensati isti reperiuntur in medio viæ residentes, & illinc constituentes, ubi non est. Et quia superius Deum finem hujus vitæ definivimus, quicquid aliud sibi pro fructu & fine statuunt, licet hominibus mitius aliquid videatur de eis, omnes idololatræ sunt. Extollunt enim isti, qui sciunt, ut sciant (etiam licet Deum ipsum sciant) scientiam suam supra Deum: quoniam si Deum agnitum supra scientiam extollerent, jam supra omnia Deum glorificarent. Alii verò tertii, qui sciunt

Stulti sunt omnes ad fructum scientiæ non pervenientes.

Vana philosophantium stultitia.

Qui sciunt ut sciantur, sunt aliis stultiores.

sciunt ut sciantur, turpiore stultitia desipiunt, quoniam in arbitrio alieno posuerunt Deum suum instabilem sanè & infidelem Deum, sed qualem sibi sua finxit insipientia, non longè distantes à quarto descensus gradu, qui scire volunt, ut magni habeantur. Hi in profundum lacus descenderunt, quibus sciendi magnitudo pro Deo est. Et hi non solùm insipientes sunt cum superioribus tribus, sed quod intolerabilius est, etiam sunt pestilentes & seditiosi, & importabiles sociis. Cùm enim volunt magni esse, volunt multitudinem parvam esse & imbecillem plebem. Hic jam aliorum infirmitatem pro Deo habet. Quartus autẽ & ultimus gradus eorum, qui soli volunt videri scientes, hi non in lacu, sed in fundamento, hoc est, ultimo loco, sunt socii ejus, qui Rex est super omnes filios superbiæ, qui nihil æstimat præter se solum, hic solitudinem habitat: hoc jam loco de ligno scientiæ boni & mali, & quid sit comedere de fructu ejus, scire scilicet ut sciat, & quomodo se nudos invenient in futuro. Verùm qui sic de fructu comedunt, ut fiant sicut Dii, hoc est, ut magis habeantur præ cæteris sicut Dii, sæpissimè per indecoram arrogantiam ab omni decore & ornatu nudantur, ut verè cogantur erubescere, & cadant in seipsis à pace cordis, inveniant sic turbatos, iratos, & indignantes velut à paradiso ejectos, ut sint eis omnia sterilia, arida, aspera, dura, horrida, quando vident ubiq; ambitionem suam confractam.

Qui sciunt ut magni habeantur, non solùm insipientes, sed & pestilentes sunt.

Qui soli scientes volunt videri, sunt socii Luciferi.

Naturalis sapientia unde dicatur.

Non est ista sapientia desursum descendens, sed animalis, terrena, diabolica. Sapientia verò quæ desursum, primùm quidem pudica, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, judicans sine simulatione.

Animalis hæc sapientia, non ab animali, sed ab anima dicitur: licet sententialiter penes aliquod in idem redit, si ab animali, animalis dicitur. Quia quę anima carnem vivificante sententia dictatur, frequenter animalis, & animalium dictata, more &

re & consuetudine magis quàm rationalis. Verùm quia Jacobus Apostolus non ζωικὴν, sed ψυχικὴν dixit, ab anima, non ab animali, sapientiam hanc denominans ac distinguens, altiorem quandam sapientiam reprobare videtur, eam videlicet, quæ ab anima rationali velut proprio fonte oritur. Constat non desursum nobis venire sapientiam eam quæ ex nobis fontem & ortum habet. Omnis ergo philosophorum curiositas, quæ non pietate sata germinavit, animalis fuit. Unde evanuerunt in cogitationibus suis, ut bestiales fierent & terreni, & traderet eos Deus in reprobum sensum, adeò, ut corpora sua, quæ templa esse debebant per pietatem inhabitantis Dei, passionibus ignominiæ afficerent, neq; illo ruinam sistentes ex terrenis diabolici facti sunt, occulto Dæmoniorum suasu seducti, ut statuas, aras, thura, templa, diesq; festos, ritum sacrum, titulos & nominum inscriptiones sibi fieri procurarent. Hæc Pythagoras, hæc Socrates, hæc Plato, sed maximè Aristoteles. Propterea in Ægyptum & Persidem profecti, ut inde sibi nomen & suis diabolicam curiositatem, Dæmonum colloquio & familiaritate disseminarent.

Philosophorum sapientia animalis fuit & diabolica.

Spiritualis autem sapientia est, quæ à spiritu sapientiæ docetur & inspiratur, quam propterea Jacobus desursum dicit, quia desuper de Spiritu sancto orta est. Spiritus enim sanctus quemadmodum animæ nostræ comparatus superior est, ita quia sine illo anima nostra, quantumlibet corpus vivificet, mortua est, rectè qui animam nostram vivificat, ipse animæ nostræ, menti nostræ, virtutibus nostris, & sanctis actibus nostris vivificans spiritus est. Et hic spiritus Deus est, & qui adorant in hoc, pro spiritu oportet adorare. Et spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Multa hîc de phantasmatibus, conceptibus, tum sensibilium, tum intellectualium duntaxat, & de reflectionibus actuum & intentionibus, & primis

Sapientia spiritualis à Spiritu sancto orta est.

actuum conceptibus, in quibus vel animalis vel spiritualis negotietur.

Quid sit detrahere, & quòd aliorum scelera narrare, non sit detrahere.

Aliorum peccata narrare, non est detrahere.

Detrahere proximo non licet: quia detractores Deo odibiles, proximorum scelera retractare licet impiorum, exemplo Domini, Scribis & Pharisæis avaritiam, fastum improperantis. Sed & justorum & beatorum exemplo, etiam S. Scripturæ, peccata David, filiorum Zebedei, explicitè pertractantis & recensentis. Non ergo proximorum peccata narrare, detrahere est, neq; etiam si fiat cum diffamandi intentione, quemadmodum Apostolus pseudoapostolorum peccata commemorat, ut, infames faciat, & indignos autoritate apud auditores. Pestilens res est, quando de corrupto homine apud simplices habetur bona opinio, velut enim si detur gladius in manus furiosi, ita si datur honor homini stulto: magis autem si datur autoritas homini nequam, maximè autem si dignitas malitioso. In talibus omnibus contravenitur præcepto Domini, prohibentis falsum testimonium dicere. Falsum autem testimonium fert, qui dicit aut habet honorem indigno & stulto. Præterea contra illud justum judicium, judicant filii hominum. Injustum enim omne est, quo nequam dignus autoritate, stultus honore dignus judicatur. Detrahere ergo quod in vitium sonet, amplius habet, quàm ut aliena mala commemorentur, puta si ex odio personæ, non ex odio peccati commemoret. Qui si non alias, posset etiam per vera criminari quomodocunque etiam falso & mendaciter insinuare. Qui verò peccati odio peccatorem odit, & infamando insequitur, perfecto odio odit illum cum Psalmista. Qui aliorum malefacta narrant, si certa malificia dicant, & solida mendacia dicant, non detractionis vitium incurrunt: quia non ideò faciunt, ut falso innocentiam obruant. Unde si vel sola lo-

Pestilens res est bona opinio de malo.

Detrahere est ex odio aliorum peccata narrare.

la loquacitatis libidine dicant, & putantes verum dicere, non eos puto detractores. Tanta enim hypocritarum malitia atq; nequitia est, ut expediat vulgatam & propalatam esse. Unde qui propterea vulgat, ut audientes cautiores reddat, fraternæ charitatis officium explevit. Monet enim Apostolus observare eos qui non ita ambulant, &c. Dominus Jesus, attendere à falsis Prophetis, &c. Et alibi, attendere à fermento Pharisæorum & hypocrisi: & subdit, à fructibus cognoscendos. Quomodo autem attendent aut observant, de quibus nihil mali præsumant? quomodo præsument, de quibus nihil audierunt? & quomodo audient sine referente? & quomodo referent si non liceat? Licet ergo non solùm, sed & oportet aliorum flagitia, facinora & scelera referre, non libidine detrahendi, aut bonam famam alterius minuendi, &c. Bona est fama, non quæ falsa est, quæ boni opinione impunitatem & peccandi licentiam parit & corruptelam. Fama nisi vera sit, quomodo bona, quæ falsa, quæ licentiosa, quæ impunis, quæ pestilens? Ab hac si sum detractor, non criminatoris, sed est monitoris præmonentis proximum imminentia pericula devitare, & hoc eò magis, quò ex taciturnitate majora pericula impendent. Uti sunt corruptorum religiosorum & prælatorum scelera, quos præcipuè summis criminalibus judiciis oporteret coërcere. Quid si non liceret referre? &c.

Expedit hypocritarum malitiam publicari.

Aliorum flagitia quomodo liceat narrare.

Charitas malis & hypocritis debet obsistere, & tales infamare, non est detrahere.

Charitas diligit hominem propter bonum, & eadem charitas odit eundem propter malum. Dicit enim: Super inimicos tuos tabescebam, perfecto odio oderam illos. Homo in charitate dignus est amore, sed homo in iniquitate dignus est odio. In eodem homine, si sint corporalis & spiritualis infirmitas, videasq; spiritualem infirmiorem corporali, debes ex charitate

De charitate qua malos odit.

negligere corporalem, nec curare etiamsi possis levi medicamine, similiter de paupertate. Quoniam exteriora beneficia omnia propter interiorē hominem reparandum fieri debent. Quemadmodum ergo in externis bonis, & in corporali valetudine, pariformiter in fama & nómine. Nullatenus enim nomini aut famæ illorum, aut opinioni favendum, qui fama aut vestimentis ovium utuntur, ut licentiùs grassentur & corrumpant gregem. Dei enim charitas est talibus obsistere, neq; obsistitur, quamdiu latere sinuntur. Prodere ergo oportet, & in publicum propalare talium hominum nequitias. Neq; detrahere est, tales homines infamare. Detrahitur enim, quando viro bono & sancto nomini mala intentione quippiam decerpitur. Falso autem nomini, ac pestilenti nomini, si quicquam decerpitur, ut vulpes & lupus verè tales agnoscantur, nihil puto detractum lupo aut vulpi, licet insidiis ejus detractum sit aliquid. Sed luporum insidias rescindere, non puto detractare censendum, nisi fortè Diabolo resistere detractare sit, &c.

Perversorum & hypocritarū nequitias propalare non est detrahere.

In cathedra pestilentiæ qui sedeant.

Omnis alta professio, frigida affectio, pestis est in Ecclesia Dei. Igitur qui principatum, præsidentiam, præeminentiam, dignitatem, religionem, doctoratum, sacerdotium, pontificatum suscipit, si adhuc divitiis, delitiis, honoribus, ambitioni, inhiat, in cathedra pestilentiæ sedet, &c.

Censura D. Wesseli, de studiis universitatum.

De studiis universitatum quid senserit.

Grande & grave contra universitates argumentum, quòd Paulus Athenis parvum fructum fecit, majorem operatus in Corintho vicina civitate, & in Thessalia, tunc ferè barbara, quàm in Attica civitate, ubi tunc fons erat Græcæ sapientiæ. Studium ergo literale nō valdè Deo placet. Et revera, sicut ego Coloniæ & Parisiis vixi, & quæ vidi, odiosa Deo magis sunt, non studia sacrarum literarum, sed studiorū commixtæ corruptiones.

nes. Multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu, erant enim multi & sequebantur eum. In grandem confusionem Pharisæorum & Scribarum illius temporis, hoc verbum dicitur. Quoniam cùm ab incunabulis legem & sanctam institutionem accepissent, ad quæstum potius quàm ad pietatem, corporaliter etiam prædicantem pietatem nõ audierunt, non secuti sunt, sed contempserunt, sed subsannabant, sed persequebantur. Publicani autem prava consuetudine & contubernis instituti & corrupti, foris quidem peccatores publici, sed intus minus corrupti, minusq; pestilentes quàm Pharisæi & Scribæ, non solùm non contempserunt, sed avidè acceptarunt. Formidandum est hodie non minus in corruptis nostris prędicatoribus & pastoribus deteriorem esse pestem, faciliusq; in die Domini magna, publicanos, meretrices, convertendos ad rectitudinem, quàm hujusmodi qui sciunt voluntatem Domini, & subsannant. Qui cùm quotidie verbum Dei tractant, & non obediunt, velut calle quodam induratæ mentis depravantur, ut pejores durioresq; fiant publicanis, & meretricibus, difficilius convertantur, & nequius doctrinæ sanæ adversantur, & sic eorum conversio desperatior. Multi enim publicani & peccatores discumbebant cum Jesu & sequebãtur eum. Unde etiam publicani & meretrices præcedunt Pharisæos & Scribas in regno Dei. Sicut enim fortis est ignis qui ardet in aqua, sic pertinax nequitia est quæ perstat & fixa manet cum quotidiana verbi Dei tractatione. Qui enim cognoscentes Deum contemnunt, necessariò traduntur in reprobum sesum, ut omnium hominum nequissimi fiant. Meliùs talibus viam veritatis non cognovisse, quoniam gravius judicium sument, &c.

Publicani minus intus corrupti quàm Scribæ & Pharisæi.

Scribæ & Pharisæi quare in reprobum sensum dati.

Sequuntur aliquot notulæ de ſacramento pœnitentiæ valdè conſolatoriæ, in quibus reprehenduntur ponentes tres partes eſſentiales ſacramenti pœnitentiæ.

Dicunt communiter, ad integritatem ſacramenti pœnitentiæ, tria concurrere: Contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem. Sed hi ſi intelligerent vim verbi in Pſalmo: Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies: non tam importunè inſtarent. Quid enim eſt cor contritum, niſi cor ad minima comminutæ & confractæ duritiei, obduratæ mentis humiliatum cor? Nihil ergo contritio quàm comminuta obduratio, confracta in obſequium Dei. Cor ergo conteri, eſt cor durum abjicere, cor voluntarium Deo offerre. Juxta illud: Voluntariè ſacrificabo tibi. Nihil enim aliud declinare à malo, quàm facere bonum. Qui enim non facit bonum, nondum declinavit à malo, quia malum eſt, non facere bonum. Si ergo qui cor durum conterit & abjicit, cor pium & ſpontaneũ Deo non deſpiciendum offert, profectò jam humiliato corde juſtus, & jam Deo ſatisfactum in remiſſionem peccatorum. Non ergo prima contritio, neq; poſtrema ſatisfactio ad ſacramentum pœnitentiæ vivificantis & juſtificantis ex morte ad vitam neceſſariæ ſunt, licet ſine vera contritione, &c. ſicut nec ſine vera humilitate vita ſpiritus vel redit vel conſervatur. Participatio ſacramentorum, eſt opus gratiæ, non juſtitiæ. Majorem juſtitiam ponunt reales ante ſacramentum confeſſionis, quàm poſt: quia ante, veram contritionẽ, poſt verò, ſolam pœnalem ſatisfactionem.

Quid cor contritum.

Declinare à malo.

Participatio ſacramentorum eſt opus gratiæ.

Pœnitentia, ſi ſacramentum eſt, contritione non eget: quia contritio juſtitiæ opus eſt, & ita contritus ante ſacramentum juſtus, igitur ſacramentum non juſtificationis eſt reditus ad vitam. Neq; propterea ſtatuo confitentem non poſſe venire contritum ad ſacramentum, quemadmodum ad baptiſmum pridem in Spiritu ſancto baptizatus.

Pœnitentia ſi ſacramentum eſt, eget contritione.

Con-

Contritio meræ opus justitiæ est, natura, tempore sequens sacramentum, nisi divinitùs præveniatur, & acceptatur pœnitens ad justificationem. Justificatio gratiam, sapientiam præsupponit: contritio, justitiam & charitatem. Charitas jam infusa non propter præcedentia peccata purgationem postulat, sed solùm propter præsentem imperfectionem & impuritatem, quoniam super præteritam transgressionem. Ita Magdalena & Petrus, quemadmodum quisquam pœnitens purgatorii longi eguissent.

Contritio est opus infusæ jam gratiæ, & quid sit contritio.

Infusæ jam gratiæ opus est contritio, detestatio videlicet peccati, opus meræ justitiæ: non ergo pars sacramenti pœnitentiæ, quia sacramentum pœnitentiæ præcedit, & operatur justificationem. Et est contritio nihil aliud, quàm justa peccatorum æstimatio, qualem de se Magdalena habere potuit in medio gaudio suo diei Paschæ: & Petrus quando apparuit ei Dominus Jesus, non tunc sensibilem habuerunt cordis dolorem.

Derogant divinæ liberalitati, qui contritionem præexigunt.

Multum ergo derogant liberalitati donatoris, & multum aggravant humeros peccatoris, qui ante sacramentum gratiæ, justitiam præexigunt in accedente. Justitiam dico contritionem, qui enim conteritur, jam justus est, neq; sacramento vivificatur, sed à debito confitendi duntaxat in facie Ecclesiæ solvitur. De confessione vide etiam suprà & infrà, de potestate ligandi & solvendi.

Nullus dolor aut contritio accepta, quæ ex Dei amore non procedit.

Præterea valdè circa hunc locum notandum, quòd neq; dolor, neq; tristitia, neq; contritio in oculis Dei accepta sunt magis quàm amor, ex quo procedunt. Omnium enim passionum primus est amor. Judas enim doluit, & adeò tristis fuit, quòd abiens laqueo se suspendit. Sed non acceptus dolor ejus, qui ex amore sui, non Dei processit, ut ex ejus origine, videlicet pravo judicio & stultitia ducentibus eum ac dirigentibus in finem stultum apertè liquet.

Quo-

Quoniam omnis timor, mœror, ſpes, dolor, ex amore velut radice naſcitur: ideò confiteri oportet in pœnitente mœrorem de peccato non acceptiorem eſſe in conſpectu Dei, quàm ſit amor unde procedit. Unde dolor Judæ pœnitentia ducti, quòd juſtum ſanguinem tradidiſſet, nō plus Deo placuit quàm amor ille unde proceſſit. Amavit enim ſeipſum, & ideò fur erat volens occultis loculis de furto propriæ concupiſcentiæ ſatis facere. Sed quia convictu, converſatione ſanctorum, quotidie divinarum legum veritates tractaverat, & ex his quæ viderat, ambigere non potuit, ſicut nec Dęmones, quin vitę Deus eſſet. Ideò collatis & comparatis invicem commodis loculorum & periculis divini judicii, ex eodem amore ſui velut ſtercora reputavit commoda loculorum, quando videbat inſtare terrorem judiciorum divinorum. Unde dolor ille non magis Deo placuit, quàm radix ejus in corde Judæ, videlicet amor ſui, quo cum cuperet perpetuò impius vivere, & hoc per ſuam viam impoſſibile videbat, ideò ſtulto mœrore ductus, abiit, laqueo ſe ſuſpendens, reprobus in radice, reprobatior in ramo, reprobatiſſimus in fructu. Unde minus peritè faciunt, qui tantoperè dolorem à pœnitente conantur extorquere: magis enim gaudia movere deberent. Valdè facit ad propoſitum parabola de amiſſa drachma vel theſauro, cujus amiſſionem nemo magis dolet, nemo ſapientiùs dolet, quàm amavit, vel ſapienter amavit. Sed hic dolor non perſeverat, niſi cum jactura perſeverante. Ubi verò repertus theſaurus, non jam dolor, neq; jam ſapienter etiam ei dolendum, ſed magis abundanti gaudio vicinos & amicos convocat ad congaudendum. Unde dignus fructus pœnitentiæ, non dolor aut mœror de peccatis, ſed magis amor Dei, ex quo poteſt mœror procedere, licet amor potiùs & promptiùs gaudium reconciliati Dei. Magdalena quòd verè dignos pœnitentiæ fructus fecerit, nemo dubitat. Sed quales? niſi

Pœnitentia Judæ quomodo ab amore ſui proceſſerit.

Reprehenduntur qui tantoperè dolorem à pœnitente extorquent.

nisi quia multum amavit, & ex amore multo, multæ illę lachrymæ processerunt, & mœror suæ commiserationis detestans tanto bono tam sancti amoris expertem fuisse doluit: ergo tantum quantum hunc beatum amorem amavit, sed multò plus & incomparabiliter plus gaudebat in se, videns amorem illum in se, verum adhuc magis de Deo suo per amorem reperto. Quantò igitur majus habere Deum reconciliatum, & habere Dei amorem in se perpetuò mansurum? quàm aliquanto tempore fuisse alienatum à Deo, tantò debuit plus gaudere quàm dolere, &c. Non enim dolor, aut mœror, aut sensibilis tristitia necessariò requiritur ad pœnitentiam. Est enim actus mentis pœnitentia, sicut peccatum, utrumq; enim voluntatis, & sicut peccatum voluntatis tantùm est, ita & pœnitentia solius est voluntatis. Fructus autem dignus pœnitentiæ est conversio integra ad eum à quo avertendo peccavit, & qui fructū illum præstare potest, is verissimè pœnitet, quia pœnitentia propter illum fructum, velut finem, bona est. Magis ergo & fructuosiùs Magdalena pœnituit, quando multum dilexit, quàm quando priorem vitam detestabatur. Non tamen hîc macerationem carnis reprobandam censeo, quæ magno & salubri consilio jungitur pœnitentibus.

Dolor aut tristitia ad pœnitentiam non requiritur.

Dignus pœnitentiæ fructus est integra conversio ad Deū.

Quod in Magdalena non amaritudinem, sed amorem pœnitentię dignus fructus commendavit, Paulus etiam ad Corinthios insinuat, præcipiens charitatem confirmare in illum qui suam novercam incestaverat matrimonio, & præsertim in causa, qua subdit, ne abundantiore tristitia absorbeatur. Quòd si Paulus charitatem confirmaret, & in ea potius vult consulendum & fovendum eum, & non abundantiore tristitia absorbendum. Sola enim tristitia Domino placet, quæ ex amore offensi Domini procedit, non quæ ex turpitudine peccati concipitur, qualem habuit Judas, & ante illum Cain. Judas post ad-

Quæ sit tristitia secundum Deum.

missam proditionem, retractans quid fecisset, intolerabili perculsus amaritudine, pœnitentia ductus, relatis argenteis, ac in templum projectis, publicè confessus, peccasse tradendo sanguinem justum confessus est: nec illo contentus, abiit, laqueo se suspendens. Hinc non mœrorem, sed furorem adactę mentis ejus advertere est, velut Dæmoniorum in gregem porcorum permissæ ingredi legiones, qui furore Dæmoniorum sese præcipitabat in mare. Sic Judas, clarescente immanitate patrati sceleris in corde suo, importabilis ipse sibi ipsi factus est. Et quia superbia contumax Deum respuit, neq; humiliter, neq; piè, neq; fideliter potest meminisse Dei sui, stimulos veritatis ferre non sustinens, confugit ad laqueum. Parvam igitur salutem affert gravium peccatorum agnitio veritatis, etiamsi magnum affert mœrorem. Sed ex vera peccatorum agnitione, magnum salutis fructum operatur fervor charitatis. Non enim steriles fuerunt amaræ illæ lachrymę Petri, sed amore Domini Jesu, ac tanto amore conditæ, ut cæteris Apostolis plus amaret. Ad amandum vocati sumus, non ad amaricandum. In amore, non in mœrore beneplacitum est Deo.

Judæ pœnitentia ex amore sui, quàm amara & importabilis.

In amore non in mœrore beneplacitum est Deo.

Unde si quis ex amore doleat, placet, non quia dolet, sed quia ex amore dolet. Liquet hoc ex verbo Domini Jesu ad Magdalenam multum amantem, quo mœrorem ponere jussit, inquiens: Vade in pace. Sed amorem commendans, colere suasit amorem. Et hanc lucis & verę sapientiæ viam nonnulli ignorantes, difficulter animas suas quietare possunt, videntes Judam tam amarè dolere, & legentes tam grave judicium Domini Jesu de eodem. Sed fallit eos error primus, putantes mœrorem de immanitate peccatorum procedentem placere Deo. Tantum enim talis mœror placet Deo, quantum crudelitas, feritas, ferocitas, furor, carnificium. Hæc enim extrema sunt unguenta nequitiæ, contumaciæ, malitiæ, superbiæ, contumeliæ,

Error multorum de dolore pœnitentium.

liæ, blasphemiæ, suapte comitantia & agitantia sceleratos, ubi ad aquilonem habitantes absq; ullo fervore charitatis, clarus radius veritatis mortis regionem illustraverit. Quid enim tetrius visu, spectatuq; horribilius, quàm regnum superbissimi regis, &c. In hoc regno mors imperium tenet, hic omnes mortem desiderant, & quisque plenis votis proximo suo mortem sperat, quam dissimilis regio hæc regioni vivorum est, ubi perfecti amoris, decoris regnum est.

De dignis pœnitentiæ fructibus absq; medio dolore peccatorum.

Pro illa mea assertione de dignis pœnitentiæ fructibus absque medio dolore admissorum peccatorum, & media confusione & confessione antequam justificetur & reviviscat, valdè facere videtur verbum illud *Matth.21.* de duobus filiis, quorum primogenitus cum primo renuisset ire in vineam patris, postea tamen ivit, & pro tanto dicitur illic fecisse voluntatem patris. Quæro in quo fecit voluntatem patris? An quia potuit? an quia abiit in vineam? Nam quantumcunq; de eo, quòd non abierat, pœnituisset, semper non abeundo priorem irreverentiam auxisset. Patrem igitur reverendo & ejus voluntatem faciendo pœnituit, non pœnitendo voluntatem fecit. Sic publicani & meretrices fecerunt voluntatem Dei, credentes Johanni baptistæ, & adhærentes ei in via justitiæ, qua venerat ad eos, propter viam justitiæ pœnitentia accepta est, non via justitiæ propter pœnitentiam accepta est. Sic pœnitenti Magdalenæ peccata multa dimissa sunt, quia dilexit multum, & pœnitentia ejus propter dilectionem accepta, non dilectio propter pœnitentiam. Non odium probabile, nisi quod ex amore procedit, & si amor integer sit, nihil opus illi ut per odium foveatur & crescat, satis est amori Magdalenę, ut revertens ad viam justitię, sic feratur in sua peccata, sicut jam gaudens in cœlo, vel sicut in aliorum debebat ferri in via justitiæ, detestando tantùm & re-

Propter viam justitiæ, pœnitentia accepta est, & non è contrario.

probando, quemadmodum etiam in alia sua non commissa ferendum erat illi.

In confessione sacerdos non magis absolvit, quàm mundat in baptismo.

In sacramento confessionis non est sacerdos judex aut absolutor magis quàm mundator in baptismo. Sicut enim sacerdos tingit aqua foris, & Christus tantùm baptizat in Spiritu sancto, sic in reliquis sacramentis. Sensibile quidem ministerium sacerdos exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Spiritualis enim vita quæ per gratiam Spiritus sancti à nullo, nisi à Christo donatur. Sacramentalis ergo absolutionis beneficium in confessione, non ex judiciaria potestate confessoris pendet, ut nulla sit absolutio, tanquam à non suo judice, quàm ab alio sacerdote, quando pia simplicitate, sincera pietate quis alteri absq; contemptu Ecclesiasticæ autoritatis extra confiteretur, quia non sacerdos absolvit vincula peccatorum, sed Christus, sicut non presbyter baptizat in Spiritu sancto, sed Christus: Christi enim baptisma est, non Johannis, aut Petri, aut Pauli, aut Apollo.

Sacerdos non solvit vincula peccatorum, sed Christus.

De confessione sacramentali, quòd non sit judicialis consolatoria tractatio, & quòd confitens absq; judiciali discussione sit absolvendus.

Confessio sacramentalis ex forma sua non est judicialis, ita ut si non adsit judicium, & districtum judicium confessoris, non sit actus confitentis & absolventis verè verum sacramentum. Sufficit enim ad veritatem efficacis sacramenti, ut confitens verè & fideliter dicat. Confessor post acceptam illius confessionem absq; judiciali discussione absolvat: quia sicut pœnitentis confessione lavat pœnitentem Deus, & non peccator, ita sacerdotis absolutionem dimittit Deus, & non confessor. Hi ministerium exhibent, sed mysterium operatur Deus. Quid hic opus exterius visibile judiciũ facere de peccato, quando Deus interius peccata non dijudicat, supervacuè prætenditur in sacra-

Quid à confitente & confessore requiratur.

cramento, quod nihil refert in abdito mysterio. De confitente & confessione solùm judicat Deus, nihil de confessis peccatis, quomodo enim judicare creditur confessa, qui confitenti promisit omnia retroacta per solam confessionē condonare? Stultè ergo faciunt, qui post confessionem non solùm judicant, sed etiam post absolutionem tortores fiunt, flagris feriunt, virgis percutiunt. Deus jejunia & cilicia non judicat, & homo judicium vendicat, Deus pœnitentem respicit, peccata non respicit: homo qui pœnitentem respicere non potest, præterita peccata vult respicere, Deo contrarius in agendo. Non potest sacerdos judicare de confitente, si verè, si fideliter confiteatur: quod si verè fideliterq; faciat, non vult Deus peccata ejus quoquo modo dijudicare. Sed quod post confessionem Deus judicat, hoc est, de confitentis restante immunditia, qualis multa sæpè ex infirmitate, ex mala priori consuetudine, ex multiplici societate, ex varia necessitate, imposita vanitate, ex occultis & alienis, quæ sola Deus ignoscere potest in homine justo, in portu salutis & gratiæ constituto. Meliùs ergo facerent bono exemplo vitæ, confitentium mores corrigendo, quàm verberibus & flagris terrendo. Magis enim contra libertatem confitentis, & contra liberalitatem remittentis Dei faciunt, diminutam illius donationem facientes, & scrupulosam istorum confessionem, utrumq; falso implicantes. Infamatur Deus non liberaliter & integrè donare: terretur plectendus integrè confiteri, &c. *Vide suprà de confess.*

Quàm perniciosus error eorum qui confitentes verberibus terrent, aut corrigere præsumunt.

Valdè irrationabiliter de sacramento confessionis loquuntur, qui adjunctam satisfactionem asserunt essentialem partem pœnitentiæ. Primò quia detrahunt sacramentali sufficientiæ, qui non putant principis donationem sufficere ad remissionem: Secundò falsificant verbum absolutionis: quia cùm dicunt absolvo, postea ligant, & innodatum dimittunt. Sed

Error dicentium satisfactionem esse partem essentialem pœnitentiæ.

quod omnium gravius est, universum sacramentum periclitant, quia protrahunt usq; in peractam totaliter pœnitentiam injunctam. Unde si fragilis ille iterum tempore medio labatur durante sacramento propter obicem positum in parte essentiali sacramenti, totum sacramentum facit nullum fuisse. Quæ enim essentialiter unũ constituunt unius nullitate, omnia fiunt nulla. Videant igitur quantum laqueum fidelibus injiciant, qui tanto tempore dicunt essentialiter trahi sacramentum.

De non injungendis satisfactionibus, argumentum in patre recipiente filium prodigum.

De non injungendis aut imponendis satisfactionibus grande argumentum in patre recipiente filium suum ex perditione & morte revertentem ad se. Non increpavit, non castigavit, non flagellavit, non incarceravit. Sed accurrens osculatus, amplexatus, præ gaudio lachrymans, jussit proferri calciamenta in pedibus, stolam primam indui, annulum dignitatis in digitum, occidi vitulum saginatum, instrui convivium, epulari, lætari, & cantare. Quales huic reverenti Papales indulgentiæ necessariæ? Plena igitur ad Deum reversio, dignus fructus pœnitentiæ solus. Sola igitur conversio, satisfactio est.

Peccata si remissa, non imputantur ad pœnam.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et qui sint illi, declarat subdens: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Quomodo enim remissa peccata, quando adhuc imputantur ad pœnam? Peccata enim præterita, si prorsus præterita sunt, ita ut nullum restet malum vestigium vel cicatrix in voluntate, non possunt aliter imputari, nisi ad pœnam, quod si aliter imputentur, sequitur implicatio & contradictio. Concluditur ergo, si Deus præterita peccata non imputet, quòd non puniet, quia si puniet, imputabit, cùm non posset aliter imputare. Sequitur ergo ex verbo Psalmistæ, quòd omnem remissionem concomitatur necessariò impunitas. Malè igitur in gratia defunctis pœna reservatur, nisi quantum gratia illorum adhuc nondum perfecta fuerit, & perfectio-

fectionis indigens, conatu & ſtudio augendæ charitatis, ac per hoc purgandæ imperfectionis habet. Malè igitur Papa purgatorii pœnas relaxat, ſi non poteſt imperfectam charitatem facere perfectiorem ſine pœna. Miror itaq; valdè, & non video quomodo intelligi poſſit, mortale peccatum prorſus eſſe præteritum, quemadmodum ſi dicamus mortale vulnus prorſus unquam prætereat, quod ſi prætereat, liquet non fuiſſe mortale. Sic etiam peccatum mortale, ſi non mortem ſpiritualem afferat, hoc eſt, ſi non vitam animæ Spiritum ſanctum auferat, mortale non eſt. Unde ſi mortale, mortem neceſſe eſt inferat, igitur ignorantiam Dei, (vita enim æterna, noſſe verũ Deum) deſpicientiam Dei, & contemptum Dei, his enim & hujuſmodi anima mortua Deo, morte ſcilicet peccatorum: mors autem peccatorum peſſima. Manent igitur peccata mortalia in mortuis, neq; tranſeunt peccatoribus magis, quàm lætifera vulnera mortuis. Unde ut peccata mortalia prorſus prætereant, & non pejore morte ſuperſint, ſola rediens vita præſtare poteſt. Non redit autem vita, niſi Spiritu ſancto redeunte. Mortalia igitur peccata nunquam prorſus prætereunt, niſi Spiritu ſancto renovato in viſceribus mortuorũ reſuſcitatorum. Igitur quamdiu in morte ſunt, ſi puniantur mortaliter, proprium ſuæ mortis fructum ferunt. Mirabile plurimum, cùm videant remiſſam in reddita vita mortem: cur non videant mortis pœnam remiſſam pœnam peccati. Qui enim conſubſtantialem ſibi ſpiritum & vitam peccatoribus donavit, impunitatem non donabit?

Papa malè purgatorii pœnas relaxare præſumit.

Non redit vita animæ, niſi Spiritu ſancto redeunte.

Quod ſi dicant etiam poſt redditum ſpiritum, oportere præcedentia peccata puniri, quia præceſſerunt, ergo in æternum oportebit Petrum & Magdalenam puniri, quia in æternum verum erat eos peccaſſe, & mortaliter peccaſſe, debere ergo tanto ſupplicio puniri pro mortali. Aut ſi dicant æternam

pœnam

pœnam remisisse, sed non temporalem, hoc nō aliud est, quàm non totaliter esse remissam pœnam. Sed mirum qui æternam remisit, quare non etiam temporalem. Rationabilius ergo videtur dicere, temporalem pœnam, non propter præteritam culpam, sed propter venialia prioris peccati præsentia vestigia venialia, & propterea venialiter ac temporaliter puniri, sed ea punitio talis erit, qualis est castigatio filiorum intra latitudinem adoptionis & gratiæ venialiter offendentium.

Nemo peccata dimittit, nisi qui multum diligere facit.

Sicut nullus egestatem tollit, nisi qui divitem facit: & nemo surditatem aut cœcitatem tollit, nisi qui videntem facit aut audientem. Sic etiam nemo peccata multa dimittit, nisi qui multum diligere facit. Dimissa quippe sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Et ille dimisit, qui dilectionem dedit. Peccata autem dicuntur, quia contra legem. Debita verò, quia non soluta secundum legem, quia tenetur ligatus lege debitori, qui non exolvit quæ secundum legem debet. Idem igitur debitum & peccatum. Nemo igitur peccatum dimittere potest, qui non potest debitum dimittere. Debitum autem legis, quòd non ex toto corde, ex tota anima, ex toto spiritu, non ex tota fortitudine, non ex tota virtute, &c. Deum diligimus. Hoc debitum nunquam in hac vita solvimus, & quamdiu non solvimus, manebimus debitores: & quamdiu manemus debitores, manemus peccatores: sed peccatoribus manentibus in peccato, peccata præsentialiter manentia non dimittuntur. Et hoc fortassis Dominus notare voluit in Magdalena, non omninò illi peccata dimissa, quia non omnimodis pro integritate primi mandati dilexit, sed multa illi peccata dimissa, quia multum dilexit, & quanto adhuc non perfectè dilexit, pro tanto adhuc illam in peccato esse, neq; dimissam esse. Novit autem ille qui mensuram istam charitatis infudit, quando reliquum usque ad perfectum esset infusurus. Et profectò tunc illi omninò omne peccatum

catum & omne debitum dimiſſurus. Nemo igitur, neq; Apoſtolica ſedes, neq; etiam peregrinans in terris catholica Eccleſia poteſt per quaſcunq; bullas vel indulgentias plenariam dimiſſionem vel remiſſionem facere. Et hic grandis locus de autoritate Conciliorum, quia inveniuntur parentibus literis publicaſſe indulgentias plenariæ remiſſionis, licet in veritate ſit ejuſdem poteſtatis, omnia & multa peccata vel debita dimittere, ſicut ejuſdem ſolius Dei multam vel perfectam charitatem infundere, &c.

Nec Papa, nec catholica Eccleſia poteſt plenariam remiſſionem facere.

In baptiſmo Johannis confitebantur peccata ſua, & ſic baptizabantur à Johanne baptiſmo pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, *ut Marc. 1.* Chriſti verò baptiſmus eſt etiam baptiſmus pœnitentiæ digniore fructu. Nam & Dominus Jeſus ad ſuum baptiſmum vocans, ait: Pœnitentiam agite. Et Petrus ad Judæos in die Pentecoſtes: Pœnitemini, inquit, & baptizetur, &c. In quo tamen baptiſmo nulla requiritur peccatorum confeſſio aut mentio, ut innoteſcat fidelibus liberalitas donationis ſacramentalis, quo neq; minima juſtitia præcedens requiritur, ut gratia detur, &c.

Baptiſmus Iohannis in remiſſionem peccatorum.

Et valdè conſolari nos debet verbum Johannis, quo dicit: Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ, licet multos terreat, quoniam Johannes cùm ante ſuum baptiſmum dignos pœnitentiæ fructus exigeret, ut habenti duas tunicas, aut victum ſuperſufficientem, non habentibus dandum præciperet, & id vocaret dignum fructum pœnitentiæ & ſeveritatis rigorem, quid Chriſtianæ pietatis liberalitas in confitentes & pœnitentes facere debeat, oſtendit. Neq; pro quolibet mortali peccato ad ſeptennem laborem & luctum remittere, ſed benigno miſericordiæ ſinu recipere. Gaudium eſt angelis in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: & nos illi luctum in terra indicimus. Longè mitiùs agebat cum pœnitentibus Johannis

Pœnitentibus non luctus, ſed gaudium indicendum.

ſeveritas, quàm Canonum juris autoritas, mitiùs Chriſti benignitas, quàm Johannis juſta, ſed moderata ſeveritas.

Verbum illud: Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ: multos primo tonitruo ſuo non parum terret & conſternat, quaſi non recipiendos, niſi multa carnis maceratione corpus ſuum caſtigaverint. Sed quantum primo tonitruo terret audientem, tanta conſolatione lenit & ungit cõſiderantem. Quis enim fructus eſt pœnitentię, niſi ut qui peccator fuit dimiſſis & omiſſis peccatis, vadat in pace cum cæteris filiis gratiæ, pacatus fratribus, gratificatus Deo? Quemadmodum Magdalena ſancto numero filiorum Dei pacatè unita placitè Deo ambulavit. Quomodo autem in pace dimiſſa fuiſſet, ſi poſt omiſſa peccata manſiſſet adhuc debitrix duræ legis ſatisfactionis, omnium illorum reatuum, tum ex poteſtatis flagitiis, tum ex facinoribus & ſceleribus reſtantium? Quos ego vel penitùs remiſſos cum culpa remiſſa, vel poſt remiſſam culpam penitùs integros, reſtare puto. Qua enim ratione partim Deus pœnitenti reatum relaxat, cur non eadem etiam ratione totum reatum relaxet, cùm totam culpam dimittat, non video. Niſi fortè magis in parvo Deus juſtitiæ rigorem ſervare velit, quàm in grandi. Omnibus confeſſum, plus eſſe peccati remiſſionem, quàm reatus. Non enim eſt homo debitor ſupplicii, niſi propter culpam, quoniam ſi vacaſſet culpa, non obligaretur ad pœnam. Quamcunque igitur partem reatus juſtitiarii iſti relaxent pœnitenti, dummodò tamen pars aliquota ſit, quæ reſtat, ſemper infinitæ miſeriæ jugo pœnitentem involvunt. Pro quo cum ipſo pœnitente, præter ſummum Sacerdotem Jeſum, neq; totus reliquus mundus ex æquo ſatisfacere poſſet. In Magdalena igitur in pace dimiſſa, quando ſeptem ab ea Dæmonia ejecta fuerunt, quęro quota pars reatus in ea remanſit? Primò, utrum totus reatus poſt culpam reatus dimiſſam, ut ſcilicet omnem pœnam adhuc debe-

Contra juſtitiarios, temporalem pœnam pro culpa dimiſſa neceſſariam afferentes.

deberet perfectè, quæ pro universitate peccatorum suorum ex divina lege rigoris debebatur? Non puto quisquam hoc dixerit. Ut ergo non in æternum crucianda relinquatur, nulla pars aliquota reatus beatæ illi peccatrici remanet exolvenda in pœnis: quod si nulla aliquota, quæro, quis reatus? Dicunt hic, temporalis pœnæ, quæ misericordi indulto commutata, restat ex æterna. Magnæ sanè misericordiæ est: primò, quòd omnia peccata dimissa sunt: secundò, magnæ misericordiæ, quòd non æternis cruciatibus debitor est. Sed quia omnes viæ Domini misericordia & judicium, ideò voluit, ut saltem temporaliter obligaretur ad pœnam.

Error multorum de pœna restante post culpam excutitur.

Qui hęc dicunt, non vident quantam fidelibus pœnitentibus miseriam imponant, quanta pietatis scandala, offendicula, impedimenta struant in viis pietatis. Semper enim cogentur pœnitentes priorem suam turpitudinem versare mente, semper carnifices esse, semper corporalem, non dico exercitationem ad parum utilem, sed semper corporalem afflictionem, castigationem, flagellationem, contritionem & mortificationem suæ carnis circumferre, non parcentes corpori suo, quasi contritum corpus, Deo sacrificium sit, cùm contra dicat Propheta: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Non ergo quantã perferre posset in carne sua, temporalem etiam pœnã in carne ferendam Christus Magdalenæ reliquit, quando dixit: Vade in pace. Quæ enim pax misero, etiam dimissis offensis, quando retinetur adhuc tortoribus? Et quid refert ab aliis, an à seipso cruciandus? Vel ergo qui totam culpam totaliter dimisit, & in pace remisit, miserum reliquit, vel consolatum: quod si consolatum, quia Domini perfecta sunt opera, plenariè consolatum dimisit, ut solutis omnibus catenis debitorum & inutilium corporalium exercitationum, liberè jam se exerceat cum reliquis filiis Dei

Contra eos qui dicunt satisfactionem necessariam pœnitentiæ.

Corporalis dolor & afflictio ad modicum utilis est.

constitutus in regnum ad pietatem ad omnia valentem, quæ nihil aliud est quàm cultus Dei. Semper enim quantumlibet præcedente peccato ceciderit homo à maximo illo & primo mandato, in quo omnis lex pendet & Prophetæ, debitor manet, & in peccatis est, quantò legi ille deformis est. Deformis autem semper, quando, dimissa pietate, valdè ad omnia stultè corporali exercitatione ad parum utili intendit. Stulta igitur omnium sententia de pœnali obligatione post remissam culpam. Dices forsan: Quid ergo antiquorum Patrum sententia servatur? pœnitentem satisfactione aliqua onerare, quinetiam satisfactionem necessariam partem pœnitentię posuerunt. Sed de his aliâs, &c.

Verbum satisfactionis blasphemiam continet, & desperationem nutrit.

Verbum satisfactionis quod à Decretistis & prædicantibus in sacramento pœnitentiæ tertiam partem significare volunt, si ad rigorem accipiatur, errorem non solùm habet, sed & blasphemiam continet, ac desperationem nutrit. Si enim Christus jurejurato constitutus sacerdos in æternum super domum Dei, neq; vacuè, neq; vanè constitutus est, sed à Deo gratiæ plenus & veritatis, quia veræ gratiæ plenus, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Oportebat confiteri pleno illum sacerdotio Sacerdotem esse, plenam igitur & perfectam hostiam, victimam, perfectas primitias, perfectas decimas, perfecta pacifica, perfectum sacrificium, perfectum holocaustum, perfectum incensum obtulerit. Igitur in hostia sua pro peccato perfectè repropitiavit populum, perfectè reconciliavit, perfectè mundavit, perfectè restituit, perfectè justificavit, perfectè sublimavit, perfectè univit in plenitudine gratiæ & veritatis. Nihil de veræ gratiæ plenitudine detrahere licebit, & quisquis detraxerit blasphemiæ reus in donatorem, calumniæ reus in donatarium. Detrahit autem, qui non integram gratiam dicit, aut qui non gratuitum donum, gratuitam propitiationem, gratuitam re-

Qui satisfactionẽ asserunt necessariã blasphemi sunt in Deum, & calumniatores in populũ Christi.

missio-

missionem confitetur. Gratuita verò quomodo erit, quem oportet pro sui remissione, pro relaxatione, pro redemptione æquum, aut tantum refundere, donec satisfaciat? Ad rigorem enim, nisi æquum aut ultra refundat, non satisfacit. Dicis fortassis, non oportere ut ad æquum, sed eatenus duntaxat satisfaciat, quatenus non est per Christum passum satisfactum. Et in hoc satis verba Pauli conveniunt, dicentis: Suppleo quæ desunt passionum Christi, quibus Ecclesiæ consuetudo se munit. Sed confitentium puritas, meram Dei gratiam, & per gratuitam Christi donationem amplectitur, & per illam solum confidit justificari in Christo, non in sua justificatione. Supplet nihilominus quæ desunt passionum Christi, quia facit hoc quod ad hanc gratiam passionis participandæ necessariò requiritur, qui credit promittenti, sperat promissionem, & amat promissa: quantum autem ex fide per charitatem operetur, vita quidem vivit, sed nulla æquitate, vel priora scelera, vel posteriorem gloriam poterit adæquare. Præter fidem integram & charitatem nihil in Maria Magdalena relaxanda, Christus requisivit.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ: DE INDULGENTIIS: DE POTEstate Ecclesiastica, &c.

1. *Indulgentiarum materia est abusus quæstorum, & sæpè illorum falsum crimen, nonnunquam impura & corrupta intentio Papæ. Verùm his tribus omissis, de sincera intentione, justa causa, & plenaria potestate videndum. Et de thesauro Ecclesiæ, & de participatione membrorum sub uno capite. Nam Psal. Particeps omnium timentium Deum. Et super Pharisæos venit omnis sanguis justus, ab Abel usq; ad Zachariam filium Barachiæ.*

2. *Nisi enim Papa possit pro arbitrio suæ voluntatis distribue-*

re de thesauro, qui realiter majoris gratiæ est, multum nutabit & vacillabit assertio indulgentiarum.

Differentia ministri sacramentorum à dispensatore gratiarum.

3. *Magna differentia inter ministrum sacramentorum & dispensatorem gratiarum. Vtrumq; tangit Paulus, cùm dicit: Ministratores & dispensatores mysteriorum Dei. Primus agit ex officio, & nescit quid proficiat. Secundus ex arbitrio, & dat quantum vult.*

Effectus sacramentorum, minister Ecclesiæ non potest limitare, sed sunt secundum dispositionem accedentis.

4. *Circa effectum sacramentorum in participante, non est ministrorum Ecclesiæ determinare gradum gratiæ & fructus consequendi. Vnde quantum baptismo vel confessione, vel Eucharistia plus aut minus dispositus, quantum gratiæ consequitur accedens, non potest minister Ecclesiæ limitare: effectus enim sacramentorum sunt secundum dispositionē accedentis. Non potest Papa dignè accedenti ad baptismum, vel dignè accedenti ad Eucharistiam, pro arbitrio suo metiri gratiam per sacramentum consequendam.*

In baptismo & pœnitentia quæ divina, & quæ externa & annexa ab hominibus.

5. *Baptismus & pœnitentia sunt duo sacramenta, quibus filius iræ & tenebrarum potest fieri filius Dei, & de morte redire ad vitam. Igitur ex sua natura non postulant externum aliquod suffragium, & quæcunq; externa eis annectuntur: ut baptismo, locus, patrimus, aqua consecrata, minister: Confessioni, admissio, casuum reservatio, pœnitentiæ salutaris injunctio: omnia hæc Ecclesiastica sunt, non divina, sed à prudentioribus Rectoribus utiliter inventa, & nisi extra casum necessitatis, non prætereunda.*

Confessor injungens pœnitentiam miscet officia.

6. *Confessor, quando in sacramento reconciliationis pœnitentiam injungit post absolutionem, miscet officia: est enim minister sacramenti, & consiliarius regendæ in futurum vitæ. In primò officio habet audire tantùm, & absolvere. Nam Dominus pro peccato dixit: Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, officio primo, sed quod subdit, noli amplius peccare, consilium de futuro, & hoc officio secundo, quo etiam sacerdos pro regimine futuræ vitæ consulit, & præteritorum memoriam & displicentiam dirigit in detestationem futuram.*

De non injun-

7. *Penes primum officium nulla injungitur pœnitentia, sicut nec in*

in baptismo. Est enim sacramentum tantùm liberali donatione legislatoris & regis decretum, cui qui justitialem adjiciendam putat, is sacramenti insufficientiam astruit, & liberalem regis gratiam minuit, & pejorem facit conditionem filiorum Ecclesiæ, quàm filiorum perfidiæ. Nam infidelis solo sacramento justificatur, & fidelis non potest confessione.

gendа pœnitentia pro præteritis peccatis.

8. Semper ab exordio nascentis Ecclesiæ, non solùm confessus Domino absolvebatur, sed qui proposuit confiteri Domino injustitiam suam, consequebatur remissionem impietatis peccati sui. Sed Ecclesia hoc tempore liberaliorem habet donationem: igitur nunc fructuosior est confessio sacramentalis, quàm tunc actus obedientialis de actu judiciali. Raro quis per confessionem sacramentalem justificatur: quia jam ante per propositum justificatus, sed ante Evangelium confessus Domino. Quis post remissam impietatem peccati injunxit Manassæ tot septennia? vel David pro tribus mortalibus 21. annos?

9. Officium consiliarii injungit pœnitentiam, quoniam sic omnia peccati remedia nominari possunt. Nam & baptismus pœnitentia per S. Petrum dicitur: & quia quicquid in futurum fit, officio fit consulentis. Itaq; nisi acceptat confessus, non obligatur implere. Neq; etiam si simpliciter proponat & dicat facturum, nisi voveat Deo. Sicut enim domestica, ita & personalia proposita, & hæc vocari potest pœnitentia injuncta.

An confessus sit obligatus implere quod injungitur.

10. Differentia inter pœnitentiam injunctam & injungendam. Prima est consilii confessoris, secunda fori divini: prima utilitatis, secunda charitatis: prima laboris, secunda amoris. Revertendi & reverso ad Deum, nihil ita injungendum, quàm ut non amplius peccet, sed purè Deum diligat. Igitur cordis munditia sola est pœnitentia consummata & injungenda per viam instructionis & adhortationis, docere eam potest, hortari ad eam non potest, neq; mandare.

11. Deus non mandat munditiem cordis directè, ut prævaricatorem exitialiter condemnet, sed statuit tantùm, ut nisi mundo corde Deum non videat.

Papa non plus obligat præcipiens quàm docens.

12. In his quæ merè divini juris sunt, Papa docere, monere, hortari potest, mandare non potest. Non plus ligatur audiens præceptum charitatis de diligendo, addito mandato Papæ, quàm si solum moneat & hortetur, quoniam satis obligat mandatum Dei, nec majori opus obligatione. Quòd si Papa non potest mandatoriè obligare fideles super obligationem divini fori, relinquitur non posse mandare præter mandatum divinum, secundum suam voluntatem.

13. Fideles sunt servi Dei, servitute latriæ à λατρεύειν, non servi Papæ, neq; per dulian, neq; per latrian: quoniam lex Christi, lex perfectæ libertatis.

14. Circa duodecimũ & tredecimum, non prætereundum verbum Apostoli: Cum omni imperio doce, sed verbum seipsum explicat: tu doce cum imperio divini, non tui mandati.

15. Ecclesiasticus minister tantùm ministrat sacramenta, sed effectum & fructum eorum relinquit cordis inspectori.

Plenaria indulgentia.

16. Plenaria indulgentia est omnis obstaculi beatificam visionem impediens sublatio activa: sicut perfecta pœnitentia, est vera & sincera cordis munditia, utraq; à Deo tantùm.

Perfecta pœnitentia injungenda.

17. Perfecta pœnitentia est pœnitentia injungenda, scilicet: Noli amplius peccare. Ad quam minister Ecclesiæ monere potest, mandare aut dare non potest, ergo nullam aliam præceptoriè injungere inferiorem pœnitentiam.

18. Possibile est perfectam pœnitentiam actu, & absq; eo quod sit plenaria indulgentia, ut patet in Iohanne baptista, post decollationem usq; ad passionem Domini. Et de Iohanne Evangelista nescit Ecclesia, si vel cum Petro & Iacobo & Andrea in patria, vel cum Enoch & Helia in via.

19. Dominus Iesus præcepit fidelibus servis suis negotiari, donec veniat, de talentis sibi creditis, & non potest Papa suo arbitrio, aut æstimatione facere, quatenus negotiatio ejus qui superlucratus fuit alia tria, valuerint quinq; talenta.

20. Fun-

20. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Iesus Christus. Super hoc fundamentum superædificat lapides pretiosos, aurum, argentum, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusq; opus quale fuerit, ignis probabit: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, sed spiritus salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

21. *Nemo mortalium etiam de suo proprio opere dijudicare potest differentias superædificatorum, licet omnes vel formaliter, vel æquivalenter verè confessi & contriti sint, quoniam spiritus singulorum salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

22. *Nemo mortalium novit, qualis ille ignis, qui uniuscujusq; opus probabit. Tropica enim locutio est de igne non minus quàm de lapidibus pretiosis, auro, argento, ligno, fœno, stipula: talem necesse est esse ignem & urentem, sicut superiora combustibilia, tropus tropum trahit.*

Quis sit ignis qui opus cujusque probabit, nescitur.

23. *Quòd si nemo mortalium hujusmodi dijudicare potest, liquet profectò, quòd nemo mortalium suo arbitrio alterum pro altero commutare potest, ut is qui lignum superædificavit, arbitrio Papæ aurum superædificaverit, aut, ut ignis ille non aliter fœnum aut stipulam probet, quàm argentum & aurum. Valdè suspectum facit opinionum diversitas & adversitas doctorum, & ex hoc libertas fidelibus, ut catholicæ opinioni & doctori adhæreat, singulas pertractet, & circa eas opinetur, quamdiu rationabiliter circa littus navigat sacri Canonis, Canonis dico S. Scripturæ.*

24. *Sanctæ civitatis Hierusalem quædam est participatio in idipsum, quia David participem se dicit omnium timentium Deum. Sunt itaq; divitiæ quædam supererogationis in thesauro, de quo secundum justitiam distributivam participant cives secundum dignitatem majorem vel minorem.*

Nota.

Divitiæ supererogationis in thesauro Dei.

25. *Sanctæ Ecclesiæ fidelium corpus unum, S. Spiritus operatione vivificatur in nobilioribus membris potiora carismata suscipiens. Sed horum membrorum collatio vel adunatio in corpore, & spiritualis*

vivificatio Dei duntaxat opus est, quæ licet sit meritum hominis Christi, opus tamen est Christi Dei.

26. Quòd si Papa pro arbitrio æstimare posset, & taxare posset valores operum pietatis, subverteretur fundamentum pietatis antiquorum patrum, qui serviendum Deo putabant in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ: magis enim serviendum domino Papæ, vel exigua pecunia obtemperandum, ut post veram confessionem & contritionem momentaneo labore liberati de manu inimicorum nostrorum sine labore evolarent. Pœna enim est in manu inimicorum nostrorum servitus.

27. Quòd si Papa arbitrarius arbiter, non jam ipse Christi, sed Christus ejus esset vicarius. Nam ex voluntate ejus penderet judicium Christi.

28. Fundamentum magnum in regno Dei in spiritu, in fructu spiritus, in messe, in vita justorum, in forma ambulationis Pauli, in charitate, in gratia: Fructus spiritus, charitas, gaudium, &c. ad Galat. ult. *Superædificatio, &c.*

29. Cum omnibus sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

30. Vnicuiq; data est gratia secundum mensuram donationis Christi, ad Eph. 4. *Solus Christus mensurat donationem.*

31. Videte quomodo cautè ambuletis redimentes tempus. Faciliori compendio dedisset viam de mille annis indulgentiarum. Perfecta munditia cordis, est perfecta interioris hominis reparatio. Perfecta interioris hominis reparatio est, ut fiat perfecta imago Dei. Perfecta imago Dei, est perfecta conformatio interioris hominis ad Deum. Veræ divitiæ Ecclesiæ sunt in vera munditia cordis, in reparatione interioris hominis, in perfecta conformatione imaginis ad id cujus debet esse imago.

Perfecta munditia cordis, reparatio, imago Deũ.

Omnia membra participant sub uno capite. Participatio civium Hierusalem in id ipsum, & David particeps omnium timentium Deũ. Et Pharisæi participes omnis sanguinis justi effusi ab Abel usque ad Zacha-

Participatio membrorum sub uno capite.

chariam, & ipsi occiderunt Zachariam inter templum & altare, cùm plus sexcentis annis occisus esset Zacharias ante tempora Christi. Quis ibi distribuit thesauros Sathanæ, ut Pharisæi participes fierent illius homicidii? Neq. Sathanas, neq. Cayphas, & tamen fuerunt participes.

Iudicii & definitionis tempus quo animæ ad dexteram aut sinistram in perpetuum constituuntur, utrum in morte carnis, aut post mortem carnis sit, Augustinus in princ. cap. 9. 13. de civit. *indecisum derelinquit.*

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ: DE INDULGENTIIS: DE POTEstate prælatorum Ecclesiæ.

1. *In materia indulgentiarum circa propositiones superiores valde notandum verbum Augustini,* lib. 8. de trin. c. 4.

2. *Deum nisi hic nunc jam diligamus, nunquam videbimus.*

3. *Sed oportet addere, ut mundo corde diligamus, & ut perfectè diligamus: hoc Papa donare non potest.*

4. *Fide mundatur cor, non voluntate Papæ. Fide, inquam, per charitatem studiosa: ut emundetur donec ad videndum Deum cor aptum & idoneum. Hæc August.*

5. *Papa potest docere secundum voluntatem Dei, non præcipere secundum voluntatem Dei: non enim plus ligat præcipiens, quàm docens mandata Dei, quòd si non potest præcipere secundum voluntatem Dei, non etiam potest præcipere secundum voluntatem suam. Christiani enim non sunt servi Papæ, sed servi Dei tantùm, & hæc servitus Græcè latria, à* λατρεύειν. *sed non prætereundum verbum, cum omni imperio doce.*

Papa non plus ligat præcipiens quàm docens.

6. *Papa ministrat sacramenta tantùm, sed effectum & fructum eorum relinquit cordis inspectori.*

7. *Plenaria indulgentia est omnis obstaculi beatificam visionem impedientis subtractio activa: sicut consummata pœnitentia est*

Plenaria indulgentia consummata pœnitentia.

vera & sincera cordis munditia, prima à Deo tantùm, secunda in creatura rationali, sed à Deo tantùm. Iuxta secundum consummata pœnitentia est pœnitentia injungenda: Noli amplius peccare.

De thesauro Ecclesiæ, & apud quem sit hujus thesauri dispensatio.

8. In Ecclesia Paulus supplevit, quæ defuerunt passioni Christi. David particeps omnium timentium Deum: est igitur quidam thesaurus divitiarum participatio cœlestis Hierusalem, ergo inferiores à superioribus accipiunt, & quo etiam superiores ab inferioribus redundantia quadam locupletantur, sed ejus thesauri dispensatio apud illum solum est, qui novit cives cœlestis Hierusalem singulos suo ordini distribuere. Et spiritus sanctus unicuique membro influet vitam & operationem, sicut voluntate patris in corpore Christi viri perfecti occurrente in consummatione ordinem & locum accepit: neque potest Papa facere, neque præcipere, ut in illo corpore pes sit in loco manus aut oculi, sed divinæ hoc tantùm reservatum est dispositioni.

9. Papa non solùm humiliter, sed etiam veraciter scribit se servum servorum. Nam Christus quando præcipit fieri omnium minimum, & si minister, non præcepit mentiri, sed revera majore sibi delicto incumbit in lege Dei voluntatem suam esse, & in ea meditari die ac nocte, sicut mater filio servit ægroto nihil imperans. Et hoc juxta quartum supra.

10. Paulus parturivit iterum in visceribus charitatis Corinthios, donec formaretur Christus in eis. Igitur matris officio functus, non solum quia voluit, sed etiam quia debuit, sicut mater ægrotantibus filiis servire, & omni studio salutem procurare.

11. Papa, sicut Paulus, materna affectione ex charitate debet servire omnibus servis Dei, & ita est servus servorum Dei, majoris charitatis debito, non vilioris conditionis gradu.

12. Sicut in mediis procellis & tempestate navigantibus decet perito gubernatori non obviare, sed parere, ita si gubernator temulentus fuerit, & sopitus dimisso clavo fluctuare & jactari navem patiatur, poterunt non solùm alii maris, & navalis artis periti, sed & debent

ejecto

ejecto illo ad temonem accedere, sibi & sociis navigantibus consulere, ita & in navicula Petri.

13. Pœnitentia injungenda est: Noli amplius peccare: quam si perfectè servat, est mundus corde. Igitur consummata pœnitentia, & sicut pœnitentiam absolutio & indulgentia, ita consummatam pœnitentiam plenaria indulgentia sequitur. Nam beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Quæ pœnitentia injungenda.

14. Populares aliter de indulgentiis, & aliter Romani Pontifices. Papa enim plenariam remissionem ab injuncta pœnitentia: populus in offensum transitum ad beatitudinem.

15. Nemo potest plenariam concedere remissionem, qui non potest dare plenariam indulgentiam.

16. Plenariam indulgentiam nemo potest dare, qui non potest dare ea quæ ad illam requiruntur, puta pœnitentiam, contritionem, gratiam, charitatem, munditiam cordis.

17. Non potest Papa scire quæ sint illa obstacula, quæ dilectum filium à patris osculo prohibent aut differunt: nihil enim in foro divino scit Papa, nisi per pœnitentis confessionem.

18. Nullus pœnitens potest scire obstacula, quibus dignè discernit filium adoptionis, & qui jam habet spiritum filii sui, non debere adhuc admitti ad amplexum & oscula patris.

19. Cum omni imperio doce, compositum verbum est, duas personas respiciens, Deum & discipulum. Nam quod dicit, doce, ad discipulum, cum imperio, ad Deum, cujus edicta docere debuit gravioris potestatis autoritas, quàm cujusquam Imperatoris. Magis autem dicit, argue cum omni imperio, sed eodem modo modificandum. Nam argue docendo secundum omne imperium divinum. Nam nisi sic, graviori quàm Iudæi jugo serviremus, quia duplicis mandati prævaricatores essemus.

20. Nullo graviore scandalo Ecclesia uteretur, quàm ut Episcopi suæ autoritatis imperio præcipere possent. Magis hoc formidandum

dandum Regibus & Principibus, quàm Herodi & Romanis Christus nasciturus.

Canones quando abrogandi.

21. Quandocunq; ex servato Canone tantum malum sequitur, quantum urgebat, ut conderetur, tunc contraria tempora Canonem ex sua natura abrogant.

22. Quòd si Papa in his quæ merè divini juris sunt, nihil præcipere potest, utputa de diligendo Deum, non potest præcipere in vim peccati mortalis, ut sui Canones serventur. Unde Canones directiones sunt, & sapientum consilia.

23. Papa non potest, ut opus meritorium valeat æstimatione sua plus quàm valeret æstimatione Dei: sic enim non vicarius Christi esset, sed Christus vicarius ejus, &c.

Statuta & præcepta prælatorum quantum obligant, & quantum sint servanda.

De statutis & præceptis prælatorum audiendis aut relinquendis.

Ad autoritatem prælatorum Ecclesiæ suo metro & gradu justo in obligatione præceptorum & statutorum suorum moderandam, non parum facit verbum Domini de observantia traditionum seniorum. Non enim seniorum illorum autoritates minus per Dominum stabilitæ, *in Deut. 15. c.* dicentem: Et erit omnis anima, quæ non audierit verbum seniorum, quando à fluctuante judicio ascenderint ad locum quem elegerit Dominus, quam N. Testamenti autoritas, dicens: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Verùm hoc in his quæ secundum Deum, ex Deo, & in Deum decreverint. Alioquin, si relinquentes mandata Dei, humana & sua mandata præcipiant, quantumlibet in Apostolorum locum successerint, nihil est quod faciunt & præcipiunt. Imò si Apostoli ipsi facerent, non essent audiendi, autoritate Apostoli, *ad Galat.* monentis, non credere, etiam sibi per Epistolam aliter prædicanti, quàm veritatem quam antè acceperant. Unde densa illa sylva decre-

decretorum & decretalium sua diligentia sacrarum literarum studium abolens, & intelligentiam impediens & relinquere cogens, unde pro tanto mandato Dei noxia invenitur. Nihil ergo fuit illorum determinatio (etiam in materia sacrificiorum, quæ res divina erat) quando pietatem in parentis Dei mandato firmatam non fovebat.

QUÆ SIT VERA COMMUNIO SANCTORUM: DE THESAURO ECCLESIÆ: de participatione & dispensatione hujus thesauri: de fraternitatibus, &c.

VEra essentiali unitate communicant sancti omnes, quotquot una fide, una spe, una charitate Christo cohærent, sub quibuscunque prælatis, quantumlibet ambitiosè contendentibus, aut dissentientibus, aut errantibus etiam hæreticis prælatis degant: quantumlibet locorum spaciis, quantislibet annorum intervallis disjungantur. Et hæc est illa sanctorum communio, de qua in Symbolo: Credo sanctorum communionem. Unde nobiscum communicaverunt patres nostri omnes, qui eodem nobiscum baptismo baptizati, & eadem esca spiritali refecti, eadem spiritali petra nobiscum refocillati. Nihil hanc sanctorum unitatem & unionem presidentium diversitas distrahit, nihil idemptitas promovet. Quia piis nihil nocet præsidentium impietas etiam hæreticæ pravitatis. Constat autem quòd valde possibile Græcum vera pietate affectũ omnia credere in Constantinopoli sub suo Patriarcha schismatico, quæ Latinus Romæ credit? Quid illi nocet suorum hæretica pra-

De fidelibus in Græcia & alibi consistentibus.

pravitas? Unitas ergo Ecclesiæ sub uno Papa tantùm accidentalis est, adeò, ut non sit necessaria, licet conferens multum in sanctorum communione. Stat enim sub eodem præsidente subjectis eis qui præsidenti non communicant. Talibus enim quisque communicat, qualis ipse est, pius piis, fidelis fidelibus: quemadmodũ impius impiis, fur furibus, adulter adulteris, &c.

De potestate Papæ: de thesauro Ecclesiæ, & participatione & dispensatione hujus thesauri.

Potestas Papæ vel Concilii in thesauro Ecclesiæ.

De thesauro Ecclesiæ neminem potest Papa vel Concilium generale locupletare vel ditare in parte, vel in toto, nisi quem potest corde integrare & affectu inflammare, quatenus verus thesaurus Ecclesiæ, verè illi thesaurus fiat. Unde si non possunt inflammare cor in possessionem illius thesauri, non etiam poterunt dare possessionem thesauri. Desiderare potest Papa, orare potest, obsecrare potest, confidere potest, commendare potest, gratias agere potest, potest fortassis & precibus impetrare interdum: sed ut autoritate donare, aut regulariter imperare possit (quoniam nec necessaria requisita præparatione aptare potest) non credo. Nullo enim suo ministerio vel opere vel arbitrio potest, ut accedentes aut subeuntes omnes regulariter Deo sint quales esse debent. Quòd si non potest quæ incerta sunt, & imperfectiora sunt, quomodo quæ graviora, perfectiora sunt, poterit? Qui non potest dignè præparare, quomodo poterit gloriosè consummare? Utrumq; sicut in solum Deum, ita etiam à Deo solo. Universa triumphantium Ecclesia magno nostro munere nõ sine nobis consummabitur: sed quid in eo meliùs provisum, nisi ut nocte & die pro nobis interpellent: non autem lego ut potestativè tribuant justificantem charitatem vel amorem. Nemini enim ulla res thesaurus est, nisi quatenus cor apponit. Puer nuces & poma thesaurizat, stulto aurum & gemmæ peripsima sunt. Sola igitur cordis æstimatio-

Thesaurus dicitur solum cordis æstimatione.

matione, thesaurus est. Unde quibus thesaurus Ecclesiæ, thesaurus non est, illis non potest Papa vel dare vel facere, ut fiat eis thesaurus. Quisquis ergo volet verè de thesauro Ecclesiæ participare, particeps fiat amoris. Et qui ditari volet ex thesauro, dives fiat amore & affectu. Et qui plenè locupletari, plenè & perfectè amet. Alioquin omnis via cassa est. Et hanc viam etiam in Thebaide & Scythi Antonius & Paulus (qui de hac plenitudine potestatis nihil adhuc Romani Pontificis opinabantur) tenebant, puto impunè plenaria remissione, plenaria remuneratione, plenaria fruitione, transierunt expediti in Deum, neque pleniori expeditione transisse, etiam si Romanus Pontifex plenariam remissionem misericorditer indulsisset.

Participatio thesauri Ecclesiæ est secundum participationem amoris.

Communio sanctorum, articulus est fidei, à qua neminem Papa potest excludere invitum, nec debet: in quam expertem neminem instituere potest authenticè, ut propterea sit, quia ipse sic vult. Potest autem, sicut Petrus & Paulus fideli ministerio, ut communicent sanctis qui audiendo & obediendo cives fiant sanctorum ac domestici Dei. Quisq; communionis aut excommunicationis mensuram habet penes mensuram amoris & vocationis à Deo ac Domino Jesu. Nec in arbitrio vel scitu Papæ quis magis aut minus communicet sanctis, aut excommunicetur. Debet Papa velle sicut Moses & Paulus deleri de libro vitæ, & optare fieri anathema pro fratribus nondum communicantibus, &c. ut suprà.

De excommunicatione Papæ & prælatorum.

Sanctus Petrus primus Papa, per Spiritum sanctum cassavit omnes vias & aditus regni, præter viam scalæ novenariæ, & hanc solam dicit abundanter ministrare introitum in regnum Dei & salvatoris, & hoc non autoritate summi Pontificis errare potentis, sed autoritate Dei spiritus loquentis per eum. Videtur igitur expresse Spiritus sanctus prophetice per Petrum damnasse & reprobasse formam indulgentiarum. Dicit enim ex-

Bulla indulgentialis Spiritus sancti promulgata per Petrum primum Papam.

presse, cui non adsunt hæc, novem scilicet: fuga corruptionis concupiscentiæ mundanæ, sollicita cura, ministrata fides, virtus, abstinentia, patientia, pietas, fraternitatis amor, charitas. Cui non adsunt hæc, cœcus est, & manu viam tentans, obliviosus purgator veterum delictorum. Dicit item: Cui hæc adsunt, abundanter ministrabitur ei introitus in regnū salvatoris. Hæc igitur bulla, non S. Petri, sed S. Spiritus per Petrum publicata, & per Ecclesiam canonicè suscepta, sola unica indubitata, verè, perfectè indulgentialis est. Neque ulla alia longior, aut alia via plenariam remissionem promittens acceptanda.

Hæc scala, & solida bulla indulgentiarum.

Hanc scalam primus Papa Petrus canonizatam unicam dicit contra culpas & pœnas.

1. Fugientes ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.
2. Omnem curam subinferentes.
3. Ministrare in fide vestra virtutem.
4. In virtute scientiam.
5. In scientia abstinentiam.
6. In abstinentia patientiam.
7. In patientia pietatem.
8. In pietate fraternitatis amorem.
9. In amore fraternitatis charitatem.

Hæc enim si vobis adsint, & superent, id est, perfectè sint, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cœcus est, & manu viam tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum delictorum. Ergo sine his non est clavis regni, neq; purgatio. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis, &c.

De vera communione sanctorum, à qua nullus excommunicare, nullus participem facere potest, nisi solus Deus, ad quam obligatur omnis homo quantumlibet excōmunicatus.

Omnes

Omnes homines à principio inſpiratæ animæ rationalis uſq; in mortē, viatores ſunt, & communicant omnes una communi facultate lucis lucentis in tenebris.

Sed quia viatorum quidam odiunt lucem hanc lucentem in tenebris, obturant aurem ſuam, ne audiant verba legis, depravant vias ſuas, ne faciant legem. Ideò eſt alia germanior communicatio viatorum ambulantium in viis Domini, audientium quid in eis loquatur divina ſapientia, quia loquitur pacem in eis, & qui legem non habentes naturaliter ea quæ legis Dei ſunt, faciunt, ipſi ſibi lex ſunt, oſtendentes opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Hi omnes poteſtatem habent filii Dei fieri & eſſe. Unde horum communio fraterna germanitas eſt in Deo. Neq; ab hac communione quiſquam excommunicare poteſt, neq; participem facere, niſi ſolus Deus. Et ad communionem iſtam tenetur omnis homo quantumlibet excommunicatus, in hac filiorum Dei communione participantior eſt qui charitate paterna in Deum, & per hoc fraterna major. Unde fit, ut quia quando fidelius gaudet frater de bono fratris, quàm is qui habet, fit ut ille magis participet, qui majorem ejus fructum capit. Hic jam facilè liquet, quemq; tantum participare fraternis bonis, quanto quiſq; deſiderio trahitur & fervet in illa. Non ergo literæ fraternitatum participes faciunt vigiliarum, jejuniorum, diſciplinarum, orationum, ſed unio fraterni amoris. Unde angeli in cœlis, quia gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, participant bono pœnitentis. Et participē ſe dicit Propheta omnium timentium Deum, quoniam in omnibus illis plenos manipulos deſideriorum ſuorum metit, & id abſq; illorum detrimento. Hæc eſt eſſentialis filiorum Dei communio & germana fraternitas, à qua nulla Eccleſiaſtica poteſtas vel excludere, vel introducere poteſt. Particeps ergo vigiliarum, jejuniorum, obſervantiarum & orationum

Tantum de bonis aliorũ participamus, quãtum amamus.

Literæ fraternitatum non faciunt participes.

De participatione operum pietatis religio-

sorum sine consensu prioris & Capituli.

omnium religiosorum est, quisquis illa illorum bona valdè desiderat, etiam si non prior aut capitulum illi literas dederint ad hoc. Imò si ferventiori desiderio talia illorum bona velit, quàm ipsi, plus ipse, quàm ipsi facientes participabit, quia pleniores pietatis manipulos beato suo gaudio sine illorum detrimento colliget, sed & illorum augmento colliget, quoniã desiderium hujus exaudiens Dominus illos facit charitate ferventiores.

De materia fraternitatis & participationis, oscitanter & frigidè ab aliis tractata.

Unde mirabile valdè est, quòd in omnibus his doctissimis viris, & cùm multi materiam fraternitatis & participationis datæ externis & beneficiis de thesauro collegii Monastici tetigerint, nemo eorum profundiùs intravit ad quærendum & scrutandum, de quanto prior domus benefactorem aliquem participem facere possit, utrum quantum pietas ejus benefacti meretur, aut quantũ illi favet prior præsidens. Manifestè enim dicit scriptura: Qui dederit justo in nomine justi, mercedem justi accipiet. Non tamen puto quòd partem accipiet de mercede justi, ita ut justus ille tantò minus accipiat, quantò hic benefactor de mercede illius accipiat, sed mercedem cum justo accipiet, quia justitiam tametsi ante non dilexit, quia tamen justitiam in eo quem justum credit, opere diligit, quatenus diligit justitiam, eatenus justorum mercedem accipiet. Et illam mercedem justi justus nõ donat aut tribuit, sed Dominus inspector cordium, discretor cogitationum & intentionum cordis, qui novit quanto amore justitiam veneratus dederit justo. Potest enim esse ut majore amore hic veneratus, quàm coluerit ille, & ergo majorem mercedem justi accipiet, quàm ille. Unde non de illius mercede. Neque verisimile est, licet doctor sanctus, & pleriq; alii post eum doctores hoc sentiant, & hodie communis religiosorum practica hoc habet, ut cæteros benefactores suos

Opinio doctoris sancti & sequacium ejus, religiosorum practica.

omnium

omnium operum suorum constituant participes. Mirabile dictu, ut qui de orationibus suis quas in potestate habent, possunt enim pro quibus volunt orare, & quantum volunt. Qui tamen orationis meritum neq; scitum, neq; certum, neq; in potestate habent, participem facere non pollicentur, sed profectum & fructum Deo quantum velit exaudire committunt. Hi ipsi de omnibus suis repositis meritis, præmiis, distributionem promittunt, quasi de suo pro possesso alterum instituere possessorem, & sese expoliare saltē pro illa parte, ad quam percipiendam externus ille admissus & institutus succedit. Cautiùs agerent fratres nullum externū instituendo, ne fortè non illis & istis sufficeret, & fieret majus charitatis schisma ex tali cautela. Quod ne cogamur confiteri, revocemus participationem istam ad merita participantis & distributionē cognoscentis & acceptantis. Unde quantum ego in corde meo, & ex corde in opere vel sermone beatificavero timentes Deum, tantum, imò timorem Dei, & timentes Deum. Quisque autem timorem Dei, & timentes Deum quantum diligit, tantum in eis remunerabitur, & tunc particeps omnium timentium Deum sine illorum detrimento (quia participatio Hierusalem in id ipsum, quia sine detrimento mutuati luminis commercium in Hierusalem est, in lumine & igne omnia ibi aguntur) sicut illos absq; illorum detrimento venerabatur. Neq; illam suam participationem ipse à timentibus accipit, sed à Deo mensurā amoris cognoscente. Sic qui dat justo, in nomine justi, mercedem justi accipiet, & qui dat Prophetæ, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, ab illo qui scit quantum in dando amat justum aut Prophetam. Amor enim, non opus, remunerabitur. Si enim distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, &c. unicuiq; à Deo erit laus & mensura conferta, & coagitata, & superfluens in sinum suum à Deo, non temporalium

Quando & quantum participamus.

prælatorum arbitrio. Quia cùm non sit eorum potestas arbitraria super effectum sacramentorum, multò minùs super merita pietatis. Prælatio enim non altiùs bonum præstare potest, quàm propter quod conceditur. Est autem concessa pro pacifico & inoffenso convictu servorum Dei, quantò id prudentia & diligentia humanæ fragilitatis divinitùs adjuta præstare potest. Ut autem homo magis ac magis Deo placeat, in eo potestatem non habet, neque ad hoc autoritas prælationis se extendit. Hac forma pietatis per testamenta, domos & agros vendicant. Sic per verba Doctoris sancti, sic per benedictiones turpem quæstum faciunt. Sed de his aliâs, &c.

Prælatio quare sit concessa.

SEQUUNTUR PROPOSITIONES.

Religiosorum merita an in alterum possint transferri.

1. *Non fecit Deus cujusq; sortem pejorem ex præsidentis corrupta intentione.*

2. *Multum periclitaretur sors bonorum religiosorum, si præsidentis arbitrio cujusquam merita transferentur in alterum.*

3. *Præsidens monasterio neq; dominus est, neq; arbiter, neq; depositarius, neque dispensator meritorum tam communium, quàm privatorum.*

4. *Omnia enim merita qualiacunq; personalia sunt non realia, gratia non jure provenientia, & quantumcunq; potest, sive prædicando, sive intercedendo, sive docendo, monendo, hortando, suadendo, consulendo, adjuvando, favendo, sollicitando, aut alias qualitercunq; faciendo, facere tenetur & debet.*

5. *Unde licet altiorem gradum sibi & cæteris fructuosum, & per hoc illis supererogantem, pro suo tamen gradu nihil supererogavit, quoniam reddet Deus unicuiq; secundum opera sua. Ubi abundat meritum, superabundat & præmium.*

6. *Bona, sortes, hæreditates, jura civium Hierusalem non sunt qualia*

qualia Ægyptiorum & Chaldæorum, ut quantò plus iste, tantò minus ille possideat.

7. *Cœlestis illius Hierusalem quæ ædificatur ut civitas, ejus participatio est in id ipsum, quia sine possessoris detrimento.*

8. *Beatifica illic summi boni possessio, qua quisq; in solidum possidet, & nemo alteri in præjudicio est, quinimò, quantò sunt plures participes possessores, tantò cuiq; fit latior possessio.*

9. *Vnde nulla ex participatione angustia, penuria, injuria, invidia, aut quærela potest oriri.*

10. *Et si in illa participatione cuiq; suum jus sit in sorte sua, nullus tamen suæ sortis Dominus, ut possit quo cum velit participare.*

In illa participatione nullus suæ sortis Dominus.

11. *Erit illic locorum distributio velut officiorum in palatio, aut actioni membrorum in corpore, ubi efficaciam & ordinem nutus principis, aut vitam & actum spiritus influit.*

12. *Quòd si non comprehensores Domini sint suæ sortis Domini, multò minus hi qui adhuc in via, nescientes si vel odio, vel amore digni sint.*

13. *Offerebat Moses deleri de libro vitæ nomen suum pro populo Israël.*

14. *Optabat Paulus anathema fieri à Iesu pro fratribus.*

15. *Quotidie moriebatur pro gloria fratrum Paulus, libenter impendebatur & superimpendebatur pro fratrum salute, & supplevit quæ deerant passionum Christi.*

16. *Omnia hæc Pauli & Mosi, licet omnia multitudini in salutem auxilia fuerint, & multipliciter fuerint, merita tamen sunt Paulo tantùm & Mosi, neq; enim Paulus donare potuit aut Moses. Orare & impetrare potuerunt, donare autem solius, cujus & æstimare & remunerare, donare & inspirare, & acceptare, & plantare, & rigare, incrementum dare, & conservare.*

Quid Moses & Paulus potuerint pro fratribus.

17. *Non illiberalitate aut inhumanitate, sed sapienter sollicitæ prudentes virgines suum oleum, quod secum acceperant in vasis suis, negarunt fatuis virginibus se daturas.*

18. Non

18. Non inveniuntur nisi fatuæ virgines alienum oleum mendicasse, mendicanti æstatæ non dabitur.

De gratia Domini Iesu, cujus sumus cives emptitii & adscriptitii.

Omnes unius divitis mendici sumus, unius merito restituti, unius obedientia reconciliati, qui suum locum non merito, sed nativo jure possidet. Mercedem autem laboris & servitutis suæ transtulit in nos, ut simus emptitii & adscriptitii cives sub uno nativo rege, qui solus regni & regalium dignitatum Dominus distributor est. Neq; enim qui plantat aut qui irrigat aliquid est, sed qui incrementum dat, Deus.

De Missarum fundationibus quid sentiendum, & quantum prosint fundatoribus.

Conferentium temporalia in sustentationem sacerdotum ad celebrandum intentio est, ut Missæ dicendæ sint in satisfactionem de pœnis debitis, sive de reatu suo minorando, ut videlicet Missa plus proficiat conferenti, quàm aliis non conferentibus.

Quæritur, utrum sit recta illius conferentis intentio? Hic videtur non tam perfunctoriè aut sicco pede transeundum. Non enim effectus & fructus sacramentorum sola intentione ministrantis aut suscipientis proveniunt. Patet hoc in quotidiana fidelium experientia. Non enim semper qui propterea celebrat, ut à tentatione convalescat is pro quo celebrat, non propterea mox ille fortior factus ad resistendum, etiam si idem ipse intendat pro quo offert Eucharistia. Effectus enim sacramentorum sunt secundum dispositionem suscipientis, & secundum requisitam illi intentioni dispositionem. Dispositio verò requisita huic sacramento ut efficax fiat, est fames & sitis hujus vivifici cibi & potus. Unde quantò minus eum esurit & sitit, pro tanto minorem effectum consequitur. Et hoc est quod Apostolus inquit: Qui parum parum, & qui multum multum: difficile autem est, ut qui beneficia instituunt, nihil afficiantur.

Effectus sacramentorum sunt secundum dispositionem suscipientis.

Et

Et è regione communiter qui instituunt, divites sunt & seculares: semper enim qui esurientes replet bonis, ipse fastidientes & respuentes dimittit inanes. Divites enim hujus seculi qui suas consolationes in hoc seculo habent, parum esuriunt & sitiunt, unde parum replentur bonis. Et licet non sit esurientis neq; sitientis, quemadmodum neque volentis neq; currentis, quia nō ex merito redditur, semper tamen esurientes & sitientes bonis replentur, & semper volens & currens assequuntur, secundum suæ sitis mensuram, licet hoc non intendat minister sacramenti seu Missæ. Plus enim ex fame audientis refectionem accipit in hac mensa, quàm ex intentione celebrantis. Nec est in potestate aut arbitrio sacerdotis, quantum debeat accipere is, pro quo celebratur, imò nec in arbitrio utriusq;, unde neq; noverunt quem effectum consequentur, sive remissionis, sive oblationis, quanquam Dominus Jesus duos effectus expresserit, redemptionem, remissionem. Redemptionem pro multis, & remissionem peccatorum, &c. Speratur autem quòd multum esurienti multum aboleat, esurienti dico justitiam, & magis illi quàm abolitionem esurienti. Semper enim sacramenta fidei sunt instrumenta, tantò semper efficacia, quantò est fides negotiosa. Quemadmodum ubi ars torpet & dormit, instrumenta effœta sunt, sic sopitæ fidei otiosa sunt sacramenta. Non igitur data pecunia, non sacerdos, non missa, non sacrificium, sed participatio & communicatio est quæ abolitionem facit, sicut redemptionem & remissionē impetrat & obtinet. Quando Dominus Jesus Eucharistiam tradidit in redemptionem sicut in remissionem, verè abolitionem in pietate constituit, absq; omni pœnali supplicio, quia manducatio fructum passionis affert dignè manducanti. Juxta illud: Quotiescunque, &c. quia communicatio est corporis & sanguinis ejus in remissionem & redemptionem. Possent ergo fideles boni sicut sacerdotes

Fundatores qui parum esuriunt & sitiunt parum consequentur.

Sopitæ fidei otiosa sunt sacramenta.

Fideles sicut sa-

cerdotes possent pro defunctis communicare. tes eadem pro defunctis intentione communicare. Consecratio est ordinis, communicatio pietatis. Igitur penes id quod fit in missa non minus devota mulier, quàm devotus sacerdos, quando de pari pietate communicãt corpori & sanguini. Quia quicquid illic non cum pietate, quantumlibet ex officio, semper ad judicium, sive consecret sacramentaliter, sive manducet spiritualiter.

Potest quidem esse intentio absq; omni dijudicante affectione in altero duorum, & ita quod ad vitam institutum atq; collatum est, ad judicium & ad reatum accipiatur. Imò fieri potest, ut & minister & fundator fructu vacuus, & qui divinis interest, utriusq; intentione exclusus, quia pro solo fundatore oblatum sacrificium non soli fundatori fructificet. Imò neq; fundatori, neq; celebranti fructificet, sed utroq; excluso tantùm illi qui famelica fauce & sitienti palato refectionem expectat. Quid igitur profuit fundatori collata in opus ministerii eleemosyna?

Multum per modum si conferendo multum flagravit, alioquin parum, fidenter enim dico, parum illi confert multa pietas officiantis beneficiati, quam fundator multo fastidio repellit. Adeò non in alieno est opere nostra salus constituta, sed in nobis tantùm est regnum nostrum, quo quantum accedimus, tantum regnamus, nostræ mentis, nostris desiderii passibus accedimus, non aliena promotione. Mentis regnum est, mentis mutationem exigit. Non hoc dico, quin ex aliorum oratione alius fructum salutis accipit, sed nunquam nisi mentaliter inde mutatus, quantum fides vel alterius vel utriusq; divinis accedit (quæ nisi mentali actu accedere non potest) tantum fructum ad quamcunq; intentionem, sive redemptionis, sive remissionis, sive satisfactionis accipit.

Error eorum Hic jam aliqualiter videre est, quantum conferat fundatori

tori aliorum exclusio, ut pro se solo offeratur, quasi detrimentum sentiret concessi luminis, ubi alius de eodem sole suum usum faceret. Quisq; suum solem facit sua cõversione ad ipsum. A quo si propterea alterum excludere volo, quo non ego minus inveniam, non solùm proximo fratri, sed & soli ipsi injurius sum. Adeò cuiq; sua in Deum conversio vinculum colligans est, ut unio sit in Deum, ut quantum desideret, tantum participet, etiam à quocunque celebrante offeratur. Imò qui credit, manducat, etiam si nusquam extra offeratur. Testis est Paulus primus eremita tantos annos in solitudine demoratus, qui nisi manducasset carnem filii hominis, & ejus sanguinem bibisset, non habuisset vitam in se. Habuit autem vitam in illa solitudine, igitur in illa solitudine manducavit: sed id quomodo, ubi nullus aderat sacerdos, nisi sua siti, sua fame manducavit & bibit? Tantum igitur satis facit hostia illa, quantum ille pro quo satisfaciendum est, est capax ejus muneris, capax autẽ est quantum desiderat, etiam si nullus pro eo celebrat. Et è diverso, si totus pro eo fastidiente mundus offerret, parum aut nihil satisfacit. Fastidium enim obicem ponit, ut non fluat oleum ubi desunt vasa vacua. Unde quòd dicunt celebratam pro multis missam, non valere unicuiq; quantum valeret si pro eo solo celebraretur, falsum puto: judicio tamen interim modo solius. Valet enim unicuiq;, quantum spiritualiter immutatur & proficit, non quantum desiderat qui celebrat. Est enim sacramentum, & est ministerium sacramenti. Sacramentũ par & æquum omnibus. Ministerium similiter in quibusdam par omnibus in precibus, item quibusdam similiter. In quibusdam autem voluntarium ad hos, vel illos. Et in illis non solùm est meritum celebrantis, ut evidenter videmus in orationibus pro exemplari vita summorum Pontificum: ubi tamen sæpè sanctissimorum hominum intercessio, nihil proficit, obsistentibus quandoque

qui pro se solum volunt celebrari, qui non solùm proximo, sed etiam ipsi Deo injurii sunt.

Missam plus valere uni, quàm si pro multis celebretur, falsum dicitur.

contrariis dispositionibus eorum, pro quibus universus fidelium cœtus, in quo non dubium sanctissimi multi viri sunt. Hæ preces licet in ministerio Eucharistiæ fundantur, non tamen secundum omnem virtutem Eucharistiæ efficaces sunt: sed ut efficaciores essent, multum pietas conferret offerentis, & pro quo offertur.

De Missarum abusu, & falsa intelligentia.

De missarum abusu, & falsa intelligentia.

Stultum enim est dicere, corporalem Eucharistię manducationem habere vim satisfactionis, pro quo manducatur ad aliquotam diminutionem pœnæ ejus. Stultum est dicere numerum consecrationum hoc facere, quia sic in una missa triginta, vel trecentas hostias consecrare deberet. Igitur si ex omni Missa fructus, videndum unde, &c.

De virginitate, propter verbum Magistri sententiarum, de necessaria connexione.

De merito virginitatis secundum Thomam & Antonium.

De virginitate propter verbum Magistri sententiarum, de necessaria connexione, eo concedit Antonius *4. part. tit. 4.* In primo concedit quòd formale virginitatis in corrupta, sicut magnificentia in paupere potest esse. Et August. *in lib. de bono conjugali.* Non impar meritum continentiæ in Johanne nullas experto nuptias, & in Abraham filios generante. Secundum Thomam, meritum non solùm pensatur ex genere actus, sed magis ex animo operantis. Habuit Abraham animum sic dispositum, ut paratus fuisset virginitatem servare, si opus fuisset. Et ex hoc, meritum conjugale in ipso æquatur merito continentiæ virginalis in Johanne. Sed hoc S. Thomas intelligit quo ad meritum essentiale, non accidentale, quo scilicet omnes virtutes connexæ sunt.

De aureolis sententia sancti Thomæ.

Finis, quo virginitas redditur laudabilis, est expeditè vacare Deo, martyres, doctores, religiosi pluribus & majoribus renunciant, ut vacent Deo, quàm virgines. Thom. Et *c. 8. lib.* dicit: Quòd

Quòd in futuro seculo, quia neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut angeli Dei: ideò omnes erunt virgines. Item ibidem: quòd parvulis nō detur aureola, quoniam hęc actui reddatur, non habitui charitatis infusæ. Benè concedit habitum virginitatis, & esse tantùm ex infusione, S. Thom. *in se. secun.* tenet votum virginitatis necessariò & essentialiter annexum. Tenet *in eodem cap.* quòd firmum propositum perpetuò continendi etiā sine voto, sit vera virginitas & virtus. Item ibidem: Quod si virginitas includeret votum, non esset essentialiter temperantia, sed veritas & justitia, & ita ens per accidens, sicut jejunium cum voto. Ad virginitatem sufficit integritas propositi non facti. Ad virtutem requiritur firmitas elicita, non firmitas imperata. In religione requiritur utraq; elicita & imperata: igitur in ea votum.

Quòd si carnis integritas accidentalem virginitatis aureolam affert: Omnis ergo mentis non stuprata integritas illic accidentalem, illic aureolam recipiet: ut alius quia nunquam idololatravit, alius quia non pactum violavit, alius quia nunquam pejeravit, alius quia nunquam furatus, quia nunquam sine recta ratione iratus, & sic de aliis innumeris: quare non tres tantùm aureolæ, sed innumeræ. Quòd si stuprata mentis integritas non prorsus in primam integritatem, per agnum tollentem peccata mundi, restituatur post peccatum, saltem pro tanto confiteri oportet, agnum non prorsus tulisse peccata. Si verò perfectè tollit, perfectè restituit: si verò perfectè restituit, perfectè sic erit, quasi nunquam læsa fuerit integritas. Confiteor gloriæ decus virginis matris in sua virginitate. Confiteor insuper in omnibus virginibus, ut Tecla, Agna, & splendidam gemmam in corona decoris. Verùm quibus non ita datum illibatam conservare, datum per eundem agnum integra mente postea sequi agnum quocunq; ierit. Jam igitur quando

De reparatione virginitatis.

Virginitatis integra per Christum reparatio.

virgines, quando integræ, quando ſequuntur agnum quocunque ierit? Petrus non integra mente ſequebatur, quando dixit: Non novi hominem. Nunc autem in perfectam charitatem reſtitutus, quo minoratus eſt quæſo jam, ut non ſequatur agnum in omnibus viis ſuis? Quòd ſi perfectè reſtitutus eſt, quid minus habet, quàm ſi firmus perſtitiſſet? Sed nunquid Deo facilius fidei quàm carnis temeratam integritam reparare? Verùm iſta quia ſic interim videtur nō intrepidus definire propter communem ſcholam contradicentem. Sed urget me perfecta inſtauratio omnium lapſorū facta & facienda per agnum tollentem peccata mundi.

Contra ſcholam communem.

Chriſtus perfectè tulit peccata mundi, & perfectè reſtituit.

De integra reparatione vulnerum ex prævaricatione inflictorum, omnimodam virtutem & completum opus Domini Jeſu prorſus dubitare non eſt, quoniam qua integritate in paradiſo tranſiſſent caſti Deo, etiam nunc purgati tranſeant: quoniam in his qui mundo corde ſunt, ita beneficio medentis vulnera curata ſunt, ut ne minima cicatrix remaneat. Neq; id magis in peccato carnis, quàm in graviſſimis peccatis David Prophetæ, adulterio, proditione, homicidio. Non enim credibile magis Deum odire legitimum actum conjugalem, quàm proditionem & adulterium. Præterea, ſi omnis lex, & omnes Prophetæ pendent ex mandatis charitatis, liquet eum qui magis diligit, magis eſſe integrum, ſanum, mundum, & abſq; cicatrice, benè qui magis diligit munditiam, caſtitatem & virginitatem, magis virginum mercedem accipiet. Charitas enim non eſt virginitas, quæ terram optimā facit ut centuplum fructum afferat, quia terra bona trigecuplum, & melior ſexagecuplum. Videmus Petrum in conjugio vocatum ad Apoſtolatum, & Timotheum in virginitate ad diſcipulatum, longè Petro inferiorem in fructu verbi Dei. Sed prærogativa virginis matris, quæ etiam inſigni primatu & ſingulari prærogativa inſignes etiam quot-

Charitas, non virginitas centuplum fructū affert.

quotquot post eam sacerdotio fungentes adducuntur in templum regis. Alii perfecti, alii integri: integri secundum charitatem. Prælati etiam si majorem virginitatem carnis amaverint, cùm virgines non sint, prælati virginibus, & majorẽ virginum mercedem accipientes, non tamen virginum insigne ferentes, licet majorem magis amatæ virginitatis mercedem accipiant. Aliud enim justitia & cordis munditia, aliud illibatum virginitatis sacrificium. In illis charitas, in istis virginitas coronatur.

Merces justi aut Prophetæ quomodo accipitur.

Qui dederit justo in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et qui dederit Prophetæ in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Hoc si ad consequentiam trahatur, oportebit dicere: Qui dederit Evangelistæ in nomine Evangelistæ, mercedem Evangelistæ accipiet. Et qui dederit doctori in nomine doctoris, mercedem doctoris accipiet. Quare hoc? nisi quia qui amat dona Dei in altero, & veretur ea, & colit, sic ejus cultus ille & amor & veneratio ad meritum reputabitur, tanquam ipse illo Dei dono donatus esset, quia charitas una omnis virtus est. Unde qui majore veneratione & cultu alterius justitiam amat, quàm ipse qui eam à Domino accepit, magis etiam justi mercedem accipiet, quàm justus ille quem amat. Quoniam actus objectalis eo sæpè gradu in metro elicitur, quo multis actibus formalibus apud Deum acceptior sit. Potest adeò quis alterius amare justitiam, ut etiam si ad operandam justitiam locus vacaret, majore affectu iste qui in altero venerabatur, justitiam etiam servaret in opere, quàm justus ille. Et hæc conclusio si vera & universaliter vera, inferes etiã eos qui martyres non sunt, dant autem pleno corde martyribus in nomine martyrum, mercedem martyrum accepturos. Et eas quæ virgines non sunt, qualis Elisabeth Ungariæ regina, quæ & ante & post nuptias virginitatem virginibus multis plus amavit, & nisi

Quomodo virginum mercedem accipiunt etiam non virgines.

gran-

grandis necessitas compulisset, illibatiorem multis conservasset. Credo itaq; magnam cum virginibus virginum mercedem accepisse, quæ tanta virginibus in nomine virginum dederat. Magis autem hæc ratio fundabitur, si fundetur in merito & efficacia sacerdotii Jesu propitiantis & emundantis non solùm immunda, sed restaurantis omnia in antiquam originalemque dignitatem. Illo sacrificio pater placatus, si in integrum restituat, & quanto restituat, quantoq; relinquat non integrè restitutum, temerarium definire. Et si illo non imputante in omnibus reliquis erit, quasi non fuerit, quare non & in isto? Beatum enim dicit David, imò Spiritus sanctus per os David, cujus tectæ iniquitates, & cui non imputavit peccatum. Non enim plenè obductum vulnus, cujus restat cicatrix qualiscunq; noxę monimentum. Unde si dicatur parem castitatis amorem, pari mercede coronandum, tum id quod non inquinata corpore & singulari aureola donandum. Dicam similiter Petri pœnitentiam non integra cum innocentibus emundatione restituendam, cùm illi non peccarunt. Hunc autem negasse in præteritum transivit, ut nequeat non fuisse. Verùm si exilis erit lanx virginitatis, quæ non ex cardine pendet charitatis, sed ex præterito tempore duntaxat immutabili. Et Jeptæ filia quæ virginitatem suam planxit, virginum acciperet coronam, & multis virginibus hostili irruptione vim passis insolens persecutoris libido suam pietati coronam abstulisset. Sed hæc utcunq; sint, firma tamen fixa utrobiq; sententia, ut & Elisabeth Ungariæ, quæ tantis votis & desideriis beatificans virgines virginũ mercedem accipiat, & nihilò minus sua virginibus corona propria sit. Velimus enim nolimus Mariæ & Joseph ad insigne illud prærogatæ celsitudinis decus non suffecisset, quantalibet cordis munditia, quantumlibet etiam conjugium Abrahæ Johannis cœlibatui comparetur. Oportet enim, ut quæ tantam habent

bent rectitudinem in opere, proprium etiam habeant titulum in gloria. Sed apparentem hanc urgentium utramq; rationem discrepantiam facilè concordat perfecta veritas intus. Merces enim virginum & virginitatem amantium, adjecta quædam aureola est. Hæc autem aureola gaudium est quoddam & alacritas mentis in Deum, latè gaudentis, confitentis, gratias agentis de tanto munere Dei. Unde virgo gaudet, confitetur, & gratias agit, quia divinitùs præservata. Elisabeth Ungariæ regina, & Magdalena gaudet, confitetur & gratias agit, quia tantæ virginitatis & puritatis amore inflammata sit, & cujusq; rectitudinem pro metro recti coronat Deus titulo honoris. Quisque enim quò magis accepit, magis confitetur & gratias agit. Nec potest Elisabeth confiteri præservatam, nec filia Jephtæ spirasse cœlibatum. Hoc tamen commune omnibus erit, omnes animę officinas locupletandas, ut benedicant omnia interiora nostra Domino, & confiteantur omnia ossa nostra nomini sancto ejus, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum datum nobis. Interpellat pro nobis etiam nescientibus nobis officiosus, ut reputetur nobis tanquam in alio amaverimus, quod ipsi non accepimus: quoniam imbecillitas nostra in his temporum angustiis ad omnia obeunda facto non potest satis esse.

Aureola propria virginum & virginitatem amantium.

Quemadmodum qui purum, verum, merum, sincerum, aurum habet, tametsi recolat & sciat ex plumbo aut luto, aut etiam ex stercore factum, nullas illi auro prioris vilitatis, aut abjectionis injurias facit, sed unà cum nativo auro recondit. Et si fortè, sicut ferro & ære videmus, ita in auro alterum altero meliùs, hoc transformatum nativo temperantius, & per hoc indissolubiliore complexione fuerit, non modò cum auro nativo, sed præ illo amabit. Ita & in filiis gratiæ suæ Deus pater, quibus à terra & ex stercore suscitatis & elevatis, humilioribus amplio-

Gloria filiorum gratiæ ex magnis peccatis ereptorum.

rem gratiam dederit, hos in regno sublimabit clariores. Quid igitur Petro, Paulo, Magdalenæ detrimenti afferet, si aliquando fuerint peccatores, quando plenè mundatis, nullus priorum sordium nęvus remanet? Stultitiæ humanæ trepidatio hæc est, non clarissimè omnia dijudicantis. Rerum gradibus gradatus est honor. Quod enim fuit, si non est, perinde nihil, & per hoc nulla judicii statera pendendum. Nec habet reatum, quod non est in potestate. De futuro saltem aliquid possumus, penitùs nihil de præterito. Et quod penitùs in voluntatis potestate non est, quis justè potest imputare, nisi relicta ex præcedente peccato mentem pręsentia vestigia sedarent, nullam converso pœnam pro illo restare.

D. WESSELUS DE PURGATORIO,

QUIS ET QUALIS SIT IGNIS PURGATORIUS: de statu & profectu animarum post hanc vitam, &c. & primò de duobus mandatis charitatis: de potestate Papæ & Ecclesiæ, Propositiones 20.

1. *Omnis aversio à malo, omnis conversio ad bonum, omnis justificatio, omnis unio spiritualis cum Deo, ex duobus illis primis mandatis.*

2. *Omne pendens tendit, ut perventu in perfectum absolvatur.*

3. *Omnis igitur lex & prophetica promissio & præcepta, sola charitatis perfectione, pendent implenda.*

4. *Quamdiu illa duo mandata non perfectè fuerint impleta, non perfectè implebit Deus promissionem suam de ingressu regni.*

Potestas Papæ merè jurisdictionalis.

5. *Omnis potestas Papæ prærogativa extra & supra cæteros in Ecclesia pastores, est merè jurisdictionalis.*

6. Omnis

6. *Omnis jurisdictionalis Ecclesiastica potestas debet esse secundum arbitrium viri sapientis, prout utiq; verè sapiens determinabit.*

7. *Hoc debitum creditæ potestatis, non facit summos Pontifices inerrabiles, ita ut non possint errare, aut ita ut necessitet eos in bonum.*

8. *Nulla Ecclesiastica sive ordinis, sive jurisdictionis potestas, potest quenquā suo arbitrio facere, ut illa duo mandata perfectè impleat.*

Potestas Ecclesiastica & Papæ.

9. *Potest jurisdictionalis potestas Papæ ministerium facere in monendo, docendo, movendo, ædificando verbo & exemplo, regimine, ministerio sacramentorum.*

10. *Sed ut ædificentur, nullius potestatis aut imperii jura exercet in cordibus ædificatorum, ut ideò intus ædificentur, quia Deus vult.*

11. *Deus qui Papam constituit super familiam suam, non requirit ab eo, ut subditorum corda convertat & inflammet, sed ut ad hæc fideliter commoneat.*

12. *Volentem aliquando Paulum Evangelizare, spiritus Iesu non permisit.*

13. *Iurisdictionalis potestas est earum rerum, in quibus homo ab homine regendus.*

An occultorum confessio necessaria.

14. *Quæ immediatè inter Deum & hominem geruntur, hæc sibi Deus dijudicanda reservavit.*

15. *Qui (quæ intra hominem sic aguntur, ut nullis indiciis foris pateant) scire non potest, judicare non debet.*

De occul[...] homo judicare non debet.

16. *Quanto purgandus oculus, aut quàm purus esse debeat, quo dignus inveniatur videre Deum, nullus mortalium definire potest.*

17. *Quæ Papa de seipso definire, nosse, non potest, hæc non potest in aliis judicare.*

18. *Qui neq; potest, neq; debet, si vult judicare, peccat & errat, & judicium nullum est, velut à non suo judice latum.*

De occultorum judicio, quod Papa & prælati sibi arrogant.

19. *Omnis actus ex taliter nullo judicio sequens etiam nullus.*

20. *Plenaria remissio prærequirit judiciū de perfecto purgato oculo, unde non efficacior illa remissio, quàm sit verax præcedens dijudicatio.*

PROPOSITIONES 13. DE POTESTATE PAPÆ, ET MATERIA INDULGENTIARUM: de remissione culpæ & pœnarum, missæ Dn. Jacobo Hoeck, Decano Naldicensi.

An Papa possit absolvere à pœna & culpa.

1. *Non amplius Papam posse super pœnis relaxandis, quàm super peccatis remittendis.*

2. *Non magis hominem impunem esse à supplicio, quàm sit immunis à peccato.*

3. *Omne peccatum quantumcunque veniale suo naturaliter supplicio, æternis legibus colligatum, propter innexam imperfectionem, distantiam, dissimilitudinem, turpitudinem, reprobationem, ignominiam, & repulsam à fruitione.*

4. *Multos verè confessos, contritionem & indulgentialem conditionem executos, verè parvulos in Christo, verè adhuc valdè informes Christo, multo partu opus habentes antequam Christus formetur in eis.*

5. *Papam nulla potestate arbitraria posse perfectè formare Christum in parvulis & imperfectis.*

6. *Papam non posse evacuare quod ex parte est, non posse facere ut veniat quod perfectum est, non posse facere de viatore comprehensorum: nec posse viatorem perfectum etiam in termino vitæ constituere.*

7. *Papam non amplius posse super meritum passionis Christi, quàm super baptismum in Spiritu sancto.*

8. *Nullam sponsam divinum illum thalamum intraturam, nisi perfectè menstruis omnibus purgatam, totam pulchram, immaculatam, & judicio Salomonis perfectè decoram.*

9. *Maculas menstruorum nihil esse, nisi malè perfectos amores.*

10. *Nisi perfectè amantem, minimè posse gaudere de Deo.*

11. *Omnem imperfectũ amorem, exclusum à perfecta fruitione.*

12. *Omnem exclusionem amanti pœnalem esse.*

13. Pa-

13. *Papam pœnales exclusiones, & chaos magnum firmatum inter imperfectè amantes, & perfectè amantes tollere non posse.*

PROPOSITIONES 32. EJUSDEM, DE THESAURO ECCLESIÆ ET PARTICIPATIONE, per quem, quibus, & quomodo thesaurus iste dispensetur, & de qualitate purgatorii.

1. *Participatio cœlestis Hierusalem est in id ipsum.*

2. *Participatio in ipsum est penes perfectam charitatem.*

3. *Qui de profectu & perfectione omnium timentium Deum, rectè & perfectè gaudet, æstuat & glorificat patrem qui in cœlis est, hic perfectè particeps est omnium timentium Deum.*

4. *In participatione cœlestis Hierusalem, semper mensura desiderii, est mensura participii.* Mensura participationis.

5. *Papa quantò potest fideli ministerio hoc desiderium suscitare, tantò potest facere participes omnium timentium Deum.* Papa quanto possit facere participes.

6. *Qui non potest imperantis jura exercere in desiderio, non etiam potest arbiter esse in participio.*

7. *Participatio in idipsum quædam beatitudinis est, quædam sanctificationis.*

8. *Participatio sanctificationis quædam actualis, quædam habitualis.*

9. *In illa Hierusalem quæ sursum est, quæ est mater nostra, semper actualis nihil nisi Deum amantium, aut propter Deum.*

10. *Actualis participatio quædam perfecta, quædam imperfecta.*

11. *Perfecta participatio nulli contingit, nisi duobus illis primis mandatis impletis.*

12. *Actualiter nemo participat omnium timentium Deum, nisi qui actualiter cognoscit, æstimat, desiderat, omnia bona timentium Deum, & actualiter inde glorificat Deum patrem in cœlis.*

Secundũ mensuram dilectionis est mensura participationis.

13. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*

14. *Pro mensura dilectionis est mensura cooperationis in bonũ, & participationis in idipsum, & participationis timentium Deum: si parum, parum: si multum, multum: si habitualiter, habitualiter.*

15. *Si ex mensura dilectionis pendet mensura participationis, solus ille potest efficaciter decernere participationem, qui solus potest infundere dilectionem.*

Nota hic de potestate Papæ.

16. *Post Deum & salvatorem, potius in voluntate fidelium, quàm in potestate Papæ constitutum, quis quanto particeps fiat omnium timentium Deum.*

17. *Omnibus credentibus in nomine unigeniti filii Dei, data potestas filios Dei fieri, ergo hæredes, ergo participes.*

18. *Hæredes Deo Papa non potest facere cohæredes Christo, cùm ad habitum non sit motus. Iam enim sunt.*

19. *Thesaurorum Ecclesiæ non facit participes, quo sive volente, sive non volente, fidelis nihilominus pro primi mandati mensura participat.*

20. *Qui thesaurum Ecclesiæ non adhuc sapienter habitu vel actu æstimat & concupiscit, non adhuc participat, quia solum pro tanto participat, quanti æstimat.*

Thesaurus Ecclesiæ.

21. *Thesaurus Ecclesiæ, cœleste regnum, nuptialis fruitio, sanctum sacerdotium, realiter idem sunt, ut unũ non sine reliquo contingat.*

22. *Nulla fidelis anima nuptialem illam vocationem audiet: Veni sponsa mea, veni coronaberis, nisi præcedant illa quæ dignam faciant hac vocatione, ut sit, judicio veri Salomonis, antè tota formosa & perfecta.*

23. *Totam pulchram, totam formosam solus ille judicat & vocat qui desponsat.*

24. *Qui vel se, vel proximum nuptialibus amoribus dignè exercitatum judicat, seipsum seducit, & veritas in eo non est.*

25. Neq;

25. *Neq; prælatorum autoritas, neq; sacramentorum veritas in hac vita immunem constituunt à peccato.*

26. *Qui non potest immunem à peccato reperire, non potest impunem decernere.*

27. *Amanti animæ gravissima afflictio est sanctorum desideriorum dilatio, quam neq; tollere potest Papa, neq; debet.*

28. *Naturale, justum, sanctum, imperfectè amantibus animabus hoc purgatorium, ut nuptialiter, sed imperfectè amantes thalamo sponsi excludantur.*

29. *Purgatorium, ut si verè purgatorium sit, oportet ut sordes purget.*

30. *Sordes amoris nihil ita purgat, ut æstuans, dilatus & sitiens amor, seipso incenditur, quemadmodum sapientia consideratione inclarescit: erit enim ignis qui probet opera uniuscujusq;.*

31. *Post hanc vitam quædam peccata dimittuntur, igitur post hanc vitam charitas perficitur.*

32. *Alias pœnas dolorosas ex igne non refello, sed principaliter purgatorias esse nego.*

Purgatorius ignis quis sit.

Purgatorius ignis est, qui interioris hominis sordes etiam in carne soluti comitantes purgat potius quàm torquet. Ignis, inquam, devorans sordes, hoc est, peccata: quoniam interior homo maculas alias habere non potest. Has maculas intellectualis disciplinæ ignis secundum Apostolum probat, quando dijudicat, & igneo zelo accensus, lignum, fœnum, stipulam exurit, donec super unicum, verum, solum & solidum fundamentum Jesum Christum nihil remanet superædificatũ, nisi argentum, aurum, lapides pretiosi, ut sic omnis ædificatio constructa crescat in templum sanctum in Domino. Necesse ergo eodem igne sancto crescere in templum, quo necesse est à malis moribus & amo-

amoribus deputari. Hæc non tam ſententia Auguſtini *lib. 21. de civit. Dei, cap. 26.* verba iſta ponentis, quàm ſententia Pauli Apoſtoli *ad Corinth. 1. c. 3.* Unde & hæc mea ſententia firmatur, ut neque ſi angelus de cœlo aliud præter id quod accepimus annunciaret, credere oporteret. Puto enim ſententias patrum tropicas magis eſſe quàm proprias, ſi quæ diverſa ab hac ſententia ſentire videantur. Manifeſtè enim Apoſtolus ferè omnia verba tropica ponit, inquiens: Lignum, fœnum, ſtipulam, argentum, aurum, lapides pretioſos, ignem & fundamentum, & ſuperædificatum. Univerſa enim hæc tropica ſunt & parabolica. Duo tantùm verba ponit parabolam exponentia, Chriſtum ſcilicet, & probabit. Per hæc duo totam parabolam corporalium rerum ad ſpiritualem intelligentiam interioris hominis transferamus. Unde non illic lignum, fœnum, ſtipula, non illic argentum, aurum, &c. ſed Chriſtus fundamentum, imago & ſimilitudo Chriſti maculam & rugam non habens, aut aliquid hujuſmodi, ſuperædificata ſtructura eſt, & niſi zelus ardentis amoris maculam & rugam teporis exurat, nunquam creſcit cœpta illa ſtructura in templum dignum habitatore Deo. Ex his puto facilè colliges meam ſententiã, facilè conferes cum opinione populari & rumoribus fluctuantis, & leviter credentis vulgi, &c.

Apoſtoli verba tropica exponuntur.

EJUSDEM D. WESSELI, SIVE BASILII, PHRISII, PROPOSITIONES 46. DE purgatorio, & de ſtatu animarum poſt hanc vitam.

Autoris proteſtatio.

MEam de animarum corpore ſolutarum purgatione & purgatorio promiſſam ſententiam exigere placuit. Et ecce ſpontaneus utcunque abſolvo proteſtans, nihil me in hac opinione mea velle aſſerere, niſi quantum ſacris literis concordet. Sicubi autem S. Scripturæ diſcrepet, ego quàm celeriter ubi ſenſero revocabo. Cum hac mea conſtanti voluntate

luntate non errabo damnabiliter, magis quàm S. Hieronymus in materia Petri & Pauli ad Galatas. Error enim qui non est pertinax, venialis est. Itaq; sic interim sentio:

1. Cùm dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, ego de interiori homine tantùm intelligo.

2. In interiore homine imago & similitudo Dei eadem quæ in interiori angelo.

3. Sicut est interior & exterior homo, sic est interior & exterior angelus.

4. Et utriusq; finis idem, imago scilicet & similitudo Dei.

5. Dei imago, Dei similitudo non perficitur, nisi perfecta unione, qua suo prototypo Deo viventi adhærens, unus spiritus efficitur.

6. Ad hunc finem diversa hominibus & angelis via est, diversa dico penes accelerationem & moram.

7. Angelis, fulguris instar, lux divina luxit, fulsit, incendit, ut subitò ad quam spiritus unionem facti erant, pertingerent. Hominibus autem de communi lege non ita.

8. Primi homines Adam & Eva in paradiso collocati, longè ab hac unione distabant angelorum.

9. Adhærendo, diligendo Deum oportebat eos ad hanc proficiendo accedere.

10. Primi parentes uti necessariò ad hunc finem festinare, sic præceptum primum, in quo omnis lex pendet & Prophetæ, scriptum habebant in cordibus suis.

11. Huic mandato quantò dispares erant, tantò ab imagine & similitudine distabant.

12. Non credo Magdalenam amantem Dominum Iesum, ut amabat, si accepisset mandatũ à Domino Iesu de non gustando lignum scientiæ boni & mali, sicut Eva & Adam à Domino Deo, quòd ulla serpentis astutia seduxisset eam contra mandatum.

13. *Interiori homini idem distantia, finis, disparitas, parvitas, paupertas, infirmitas, impuritas.*

14. *Divinæ similitudini & verè spirituali unioni plus in paradiso dispares distabant in originali justitia, quàm sub cruce Magdalena.*

15. *Fortior infusa justitia in Magdalena, quàm originalis justitia in Adam & Eva,* patet Exod. 12.

16. *Infirmior igitur originalis primorum parentum justitia in paradiso.*

17. *Interiori homini accedere, conformari, crescere, ditari, confortari, purgari, idem sunt, patet per 13.*

De purgatorio primorum parentum.

18. *Primi parentes in paradiso, sicut accessu, confortatione, incremento, locupletatione, confortatione, opus habebant, sic & purgatione, patet per 16.*

19. *Si locus purgationis eorum quæritur, paradisus eis purgatorium fuisset.*

20. *Si de modo & forma purgationis quæratur: Obedientia angelicæ monitionis.*

21. *Non magis inconveniens hominem imperfectè factum, ab angelo jam beato purgari, quàm angelum beatum inferiorem actu Hierarchico per superiorem purgari.*

22. *Si beatus angelus purgatur actu Hierarchico, & illuminatur, & perficitur, hoc necessariò in partibus imaginis distribuendum.*

23. *Igitur purgatio menti per sapientalem cognitionem Dei, illuminatio intelligentiæ per sublimem glorificationem Dei: perfectio voluntati per beatam fruitionem Dei.*

24. *Omnem palmitem ferentem fructum, pater purgat, ut fructum plus afferat.*

25. *Purgantibus angelis pater cooperatur: illuminantibus angelis verbum vita & lux glorificans, perficientibus & inflammantibus igneus*

igneus ille amor & charitas æterna Deo amante, Deo amato dignissima Spiritus sanctus.

26. Græci putant animas corpore solutas, omnes mox in beatificam illorum sanctorum angelorum purgationem, absq; ulla media, sancta, morosa purgatione transire.

Opinio Græcorum de animabus corpore solutis.

27. Latini tenent, animas pretiosa in conspectu Domini morte solutas, morosa sancta quadam purgatione, quæ nondum beata sit, purgari. In hac purgatione, tum de forma, tum de loco, tum de fine apud Latinos discrepantia est. Quibusdam sensibilem cruciatum ex reatu dimissæ culpæ metientibus ac definientibus.

Opinio Latinorum.

De forma, loco & fine purgatorii.

28. Aliis autem sicut interiori homini congruit, cum Augustino in sermone de verbis Domini, duntaxat intellectualem disciplinæ ignem illum fore volentibus.

29. Pro secunda parte valdè facit verbum Apostoli, dicentis: Vniuscujusq; opus, quale fuerit, ignis probabit.

30. Talem igitur ignem illum dicunt, qui fundamentum & superædificata fundamento, lignum, fœnum, stipulam dijudicare possit, & malè superædificata reprobare non solùm, sed & exurere, ut ardeant, & opera bona probare, & cum fundamento conservare.

31. Dominus Iesus in hac vita præcipit lucernas ardentes in manibus tenere, expectare, donec veniat filius hominis pulsans. Et sanctus Petrus in Canonica sua, post lumen lucernæ lucentis in caliginoso loco, duas vices aut vicissitudines ponit, Orientem luciferum, & illucescentem diem.

32. Orientem luciferum, ego intelligo filium hominis venientem & pulsantem, longè supra lumen lucernæ lucentem, clara virtute in eis opera facientem, quæ nemo alius facere potest, ut qui tunc non confestim aperuerint, excusationem non habeant de peccato suo.

33. Qui verò succincti lumbis expectantes, confestim aperiunt, hi videntes Christum Domini, accipiunt in ulnas, & benedicunt dicentes & orantes in pace, secundum verbum Domini gratias agentes:

 quia

quia viderunt oculi eorum salutare Dei, paratum ante faciem omnium populorum.

34. *Illic eorum exauditur oratio, & fit pretiosa eorum velut jam sanctorum, & à suis peccatis salvatorũ mors in conspectu Domini.*

35. *Antequam à corpore solvantur, salvi facti sunt amantes Dominum Iesum, & hoc in lumine orientis luciferi.*

36. *Post lumen lucentis luciferi, S. Petrus ponit aspirantem diem, qui quia nondum orto Sole, cum Latinis credo morosum illum profectum, quo animæ corporibus solutæ purgantur, & proficiunt in gradum sanctæ charitatis, qui cuiq; pro suo loco in templo, pro sua mansione in domo patris debitus.*

37. *Manifestè in Canticis prædicat animam columbam formosam, ascendentem de deserto totam pulchram à capite usq; ad pedes immaculatam, charissimam in delitiis.*

38. *Hæc ornamenta, non in hac vita, quoniam hîc in multis offendimus omnes. Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Absit autem ab ore sponsi, ut mendacium inveniatur in ore ejus.*

39. *Hæc igitur veræ sponsæ ornamenta, vero & veridico sponsi præconio adscripta, post hanc vitam sponsæ competunt. Sed quando sponsæ suæ sponsus hæc præconia tribuit, adhuc viatrix est, nondum ortum Solis videns, aut beatifica visione comprehendens.*

40. *Anhelat videre sponsum, & non videt, quando dicit: Quæsivi illum, & non inveni, vocavi, & non respondit mihi.*

41. *Hæc sanctiora opera sponsæ credo post pretiosam in conspectu Domini mortem, sub illucescente die, ante beatifici Solis ortum.*

42. *In hac luce purgari post mortem in conspectu Domini pretiosam, hujus purgationis purgatorium locum credo paradisum.*

43. *Omnes pretiosa in conspectu Domini morte mortui, sunt confirmati in gratia. Longè igitur sanctiores & purgatiores, quàm Adam & Eva in paradiso.*

44. *Latro de cruce paradisum accepit purgatorium, quia interim adhuc viator.*

45. *Non credo latronem puriorem expirasse, plerisq; sanctis viris, pro quibus à principio nascentis Ecclesiæ, sancti viri oraverunt.*

46. *Hæc mihi videntur convincere, purgatorium spirituale potius quàm suppliciale.*

Purgatorium potius spirituale, quàm suppliciale.

Quòd si ista convincant, exempla omnium dialogorum & illustrium virorum visiones, parabolicè potius quàm historicè interpretandæ & acceptandæ sunt. Sed de his aliàs plura.

Item de purgatorio dicit D. Wesselus: Sensibiles pœnas non esse per se purgatorias, quemadmodum cœcitatem, si decem millia collyriorum adhibeas, nihil purgat, nisi redditus visus. Ita sordes animæ discedentis, nihil per se, nisi crescens amor Dei purgat.

Purgatorii pœna utrum sensibilis.

Quantò pœnitens magis est amans, tantò expectatio pœnalior, nec per dispensationem inflicta, sed naturaliter concomitans, unde nec Papa, nec prælatus eam tollere potest. Et si istę pœnæ, ut timere Deum, expectare, esurire, sitire justitiam, lugere, ingemiscere, concupiscere, & deficere in atria Domini: Si, inquam, istæ pœnæ efficacissimæ purgatorię sunt, quid oportet alias quærere, cùm sine his aliæ inutiles sint?

Quæ vera pœna purgatoria.

Defuncti enim proficiunt exploratiore fide, fidentiori spe, ferventiore charitate, propterea fragili corpore exuti, ut celeriùs propositum agonis stadium currant, magnis passibus properantes ad perfectionem. Et hæc vel beatiora his vult Paulus credi de defunctis, dum dicit: Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini: quasi diceret: Si sciretis quæ circa illos sunt, non contristaremini. Sunt igitur in tali statu, quem si sciremus, gauderemus. In statu igitur non misero, non sub virga lictoris, aut in igne præparato Diabolo & angelis ejus, sed sub disciplina patris instituentis, & eorum quotidiano pro-

De profectu defunctorum.

fectu gaudentis. Et ipsi alacri profectu, ardenti spe, sitienti desiderio sibi indignantes quod non amplius fervent.

De facultate merendi post mortem.

Quod quidam de merito & merendi facultate dicunt, quemq; sequi sua opera, neq; amplius merendi locum esse: hoc de prima specie motus, videlicet vivifica generatione ad vitam intelligendum vel corruptionem, de augmentatione & alteratione depravationis nequaquam. Non enim illic regenerantur à morte ad vitam, sed benè crescunt ex imperfecto ad perfectum: & deputantur à sordibus venialium suorum amorum, *secundum August. lib. 21. de civ. c. 26. & Greg. in moralib. & Guilel. Parisien. lib. 1. de universo corporali*, ubi ad longum vult, quòd animæ defunctorum etiam à peccatis & sordibus expurgentur, & ab imperfectionibus perficientur. Quia secundum sententiam Apostoli: Qui cœpit in nobis opus bonum perficiet usque in diem Domini Jesu, *ad Phil. 1.*

Apostolus quando dicit, ut referat unusquisq; prout gessit in carne, non dicit cum exclusione solùm in carne: quia confessa quædam peccata remittuntur in futuro seculo. Erunt ergo illic peccata, de quibus non in carne gestis referetur.

Ignis purgatorius non erit corporalis.

Ignis ille qui uniuscujusq; opus probaturus est, non pœnalis tantùm erit, quia tunc nihil ad illum ignem quale esset uniuscujusq; opus. Nunc autē talis erit, qui uniuscujusq; opus probet ac dijudicet: non ergo corporalis ignis ille, de quo Paulus hic loquitur, qui mentales intelligentiarum ac voluntatum differentias dijudicare, probare, reprobare norit. Quemadmodum neq; corporalia cremabilia sunt, quæ ignis ille cremabit, licet Apostolus corporalium rerum vocabulis fœnum, stipulam, lignum, argentum, aurum, lapides pretiosos unico illi fundamento superædificet. Quis tam absurdus, ut credat aliquem filiorum Dei super angularem illum in fundamento spiritualis ædificii lapidem, fœnum, stipulam, ligna corporalia superædificare?

care? Imò ſanctiores quiq; argentum, aurum, lapides pretioſos illi fundamento ſuperædificantes, omne argentum, aurum & pretioſa lapidum contempſerunt, ut nihil talium offerre poſſint ſuperædificandum. Indigniſſimum valdè tali fundamento talia ſuperædificare. Non ergo minore abſurditate deſipere puto, qui talium probandorum ac dijudicandorum ignem corporalem putant. Quis ergo ille ignis? niſi ignis ille conſumens, qui Deus eſt urens renes & comburens, depurans aurum, donec defluat omne ſtannum & omne plumbum ejus, examinans argentum, & purgans ab omni ſcoria, ſcrutans corda & renes Deus. Ignis igitur ille purgatorius, idem qui & fundamentum poſitum. Hunc ignem & cremabilia hæc, ſi benè attenderent indulgentiarii noſtri, non tam temerè poſt mortem plenariam remiſſionem, & omnimodam impunitatem promitterent: ſcirent enim neceſſariam illius ignis probationem, ſicut poſt neceſſariam mortem rectum judicium. Hoc autem judicium in igne iſto erit, probante quale ſit opus uniuſcujuſq;. Niſi ergo per indulgentias Papa facere poſſit, ut opus ejus tale fiat, ut nullum patiatur detrimentum, non poterit eum ſine depuratione tranſmittere illo, quo nihil intrat immundum. Pauli enim teſtimonio, imò Spiritus ſancti per Paulum, plurimorum opera talia ſunt, ut in illius ignis probatione detrimentum patiantur, qui tamen verè ſancti ſunt, quia ſpiritus ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Si poteſt quis illum ignem ab opere ſuſpendere, ſi juſtum judicem, imò juſtitiam à retribuendo & judicando ſi quis poſſit ſuſpendere, etiam immundorum purgationem poterit retinere.

Quis ſit ignis purgatorius.

Contra indulgentiarios.

Deus noſter ignis conſumens eſt, qui hominem fecit ad imaginem ſuam, quando ignem miſit in terram, & voluit ut arderet, & omnem deformitatem ab imagine ſua fervore charitatis conſumeret. Unde omne opus humanum ab hoc igne arſum

Deus noſter ignis conſumens eſt.

ſum & conſumptum, verè detrimentū eſt. Unde hic verè purgans ignis eſt per ſe, licet ignis materialis per accidens purgatorius poſſet eſſe. Sicut concupiſcentia priuſquàm concipiat, porta mortis & inferni quidem eſt, ſed clauſa: ſed ubi concupiſcentia per ſtultitiam conceperit, aperit morti ſinum. Sic ſynderesis janua quidem regni eſt, ſed clauſa, quamdiu non veritas Evangelii acceptatur. Veritas igitur Evangelii quædam viva clavis regni, ſicut ſtultitia clavis mortis. Veritas igitur & falſitas claves perditionis & ſalutis, etiam per quemcunq; miniſtrentur ſacramentum & antidotum, ſuam facit operationem.

Ignis purgatorius malè à doctoribus dictus eſt ſatisfactorius.

Ignis ille quem hinc egredientes animæ ſanctę expectant operum, prout in carne geſſerunt detrimentum paſſuræ, hunc ignem ſancti Patres purgatorium, non ſatisfactorium nominaverunt. Sed poſteriores, qui mundificationem arbitrio prælatorum tribuere non poſſunt, confugerunt ad ſatisfactionem, cùm tamen revera ubi plena munditia cordis eſt, nulla exigitur ſatisfactio. Nihil enim juſtitia invenit injuſto quod cauſetur, quod autem tranſiit in præteritum, non in ſua eſt amplius poteſtate, & magni Sacerdotis morte ſopitum eſt in ſatisfactionem, cujus fructus integrè donatur integrè cohærentibus Chriſto, & in illam ſola ſummi & maximi Pontificis voluntas legitimè intervenit. Quod pleriq; ſanctorum pœnalem & materialem ignem ponunt. Primò, puto Dei voluntate, quia illorum pietate & multitudinis utilitate factum. Secundò, non mendaciter aſſertum, ſed parabolicè, cùm ſint multa ſcripturæ etiam Canonicè tam parabolicè tradita, quod à vulgo realia putentur: ut ſunt lux, lumen, claritas, &c. Tertiò non materialem ignem purgatorium puto principaliter, ſed tamen ignem principaliter puto purgatorium, quia per ſe ſuo incremento ſancto, purgatorius eſt, qui quantò creſcit, magis Deo aſſimilat & unit. Unde aſſimilari Deo, & per amorem uniri, purgari dico. Et

co. Et impurum voco, non perfectè amare. In amore crescere, id verè purgari est. Quòd si pœnaliter affligi purgari esset prædicatione per se & essentiali, statim sequeretur magis torqueri, magis esse purgari. Et ita malignissimus dæmoniorum Lucifer magis purgaretur, quia magis torquetur. Sed si magis purgatur, magis ad puritatem accedit, & ita nunc purior & mundior quàm statim à principio ruinæ. Ejus autem superbia ascendit semper.

Deo per amorem uniri, est purgari.

Quí ex hac vita imperfecti discedunt, vera purgatione opus habent, & crescente charitate, quia malis moribus & amoribus hinc discedunt, secundum August. *cap.21.lib.21.de civ.Dei.* Et secundum Guilel. Paris. *c.100.1.part.de universo corporali.* Opus igitur habent purgatione per se & essentialiter purgante. Sed quia in gratia hinc discesserunt, ideò non sunt confusi, cùm loqueretur inimicis in porta. Et quia per mortem cõfirmati sunt, ut à gratia excidere non possint, ideò verè pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eorum: quia jam in Domino mortui sunt, beatiores in via Dei, quàm Adam & Eva, majore igitur charitate quàm illi, & magis in gratia Dei quàm illi. Quòd si beata paradisi felicitate circumfusi ab illa sua imperfecta charitate purgari potuerunt ac debuerunt, quare non latro de cruce descendens reliquum id imperfectionis in paradiso sub doctore, duce, donatore Domino Jesu, hostia, victima, holocausto incenso, manna, libamine perpetuo purgari potuit? Quòd si ille, quare non omnes beatè in Domino mortui, & pretiosa morte mortui, pari beatitudine reliquum imperfectionis purgari potuerunt? Non tamen abs re aut invito tropo status ille per ignis parabolam designatur, quando clarissimus ille doctorum Augustinus *in sermone c.12.de verbis Domini,* partim tropicis, partim propriis, partim hinc inde appropriatis, dicit per igneos torrentes intellectualis disciplinæ transire, id est, purgari.

De felici statu animarum in purgatorio.

Sunt educti de carcere captivitatis, liberati corpore mortis, exuti carne peccati, eruti de necessitatibus fragilitatis, erepti de laqueis insidiatoris, restituti in promptitudine spiritus audientes legem & vocem legislatoris, non surdi auditores, accincti ad currendum viam mandatorum Dei, prompti magis in horto, & ideò alacriores cantantes cantabiles justificationes in illo loco peregrinationis eorum. Verùm quia latum ibi mandatum nimis, & ipsi in latitudine mentis etiam dilatis desideriis affliguntur. Sed quia hæc afflictio urit & incendit, votiva etiam hæc dilatio. Christus triplex exemplar justitiæ: Primò, laboriosæ justitiæ in exilio, & hæc fortis perfecta. Secundò, felicis & proficientis justitiæ in paradiso, hæc sancta. Tertiò, beatæ justitiæ in patria, hæc beata.

Quòd animarum separatarum fortis ut mors dilectio.

Dilati amoris desideria nisi affligant, & adeò affligant, ut accensa charitas crescat in perfectum ardorem, ut nulla creatura separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo, fortem ut mors, durum ut infernum, imò fortiorem utroq; : nam erat parva charitas adhuc, quia adhuc aliquid sui habens, quando propter mortem vel infernum adhuc affligitur, quoniam charitati solus Deus est omnia in omnibus, quod quamdiu non fuerit, non pura, purganda igitur à fermento veteri, ut epulari possit in azymis sinceritatis & veritatis. Sed charitatem nihil purgat, nisi augmentum charitatis. Unde quantumcunq; cruciatur, nisi augeatur, nō purgatur. Omnium optimus, omnium piissimus Dominus Jesus mille cruciatus pertulit, nullatenus tamen purgatus. Lucifer æternos cruciatus perferet, nullatenus purgabitur. Cruciatus igitur non purgat, nisi per accidens: per se autem non purgat, nisi crescens amor Christi ac Dei.

Pœna non purgat.

De verbis Petri Apostoli.

Quòd si Petrus in Canonica sua secunda in principio promisit, post mortem frequenter operam dare fidelibus, memoriam

riam ut facerent salutarium illic mortuorum: & procul dubio verax pollicitationem absolvit. Quid putamus Dominum Jesum facere, qui promisit se nobiscum fore usq; ad consummationem seculi, datus Evangelista, quibus datus est mediator, ac per hoc Sol omni creato spiritui, misero, beato & medio? Et quia arbitrarius est, ideò qui in carne sunt, quando vult, illuminantur, & quantum vult, & interim de jure videndi pro arbitrio dispensat. In carne solutis mox immediatè lucet. Et qui bona voluntate recipiunt lucem, intrat ad eos, & mansionē in eis facit, nunquam ab illis discessurus. Verùm quia Latinorum Ecclesia beatitudinis dilationem ponit, & purgatorium vocat, & Apostoli baptismum pro mortuis tradiderunt, rationabile videre, quantum piis animabus corpore solutis arbitrarius ille Sol, & qualiter luceat. Manifestè enim si convertuntur ad eum, eum amant, & si differuntur à beatifica fruitione affliguntur, quia vellent adeò placere ei quem amant, quantum amant. Et hoc desiderium urit eos ardentius, quàm unquam in carne illos amatores: hoc ergo desiderium ignis ille probans & reprobans omnia ligna, fœna, stipulas abs re super fundamentum fidelis amoris superædificata: & quantum ab hoc fervendi desiderio reprobantur, tantum ardent hæc eorum opera, tantum detrimentum patiuntur, tantumq; purgantur.

Desiderium animarum est ignis purgatorius.

Quæcunq; potest habere Paganus ut Christianus, horum non accepit Petrus à Christo pastoralem commissionem.

Commissio pastorum, in quibus habeat potestatem.

Quæcunq; non potest habere fidelis extra statum gratiæ & charitatis, horum etiam non accepit pastoralem commissionem.

Accepit ergo duntaxat illorum potestativam commissionem, quibus fidelis cum fideli fideliter, hoc est, Christiano vivendi more potest & debet communicare: in quibus rebus si diligentem & sollicitum se exhibeat fidelis servus, & si proficiat

Prælatus in quibus potestatem acceperit.

ſubditis (quod tamen in eo non eſt) utilis ſervus eſt. Velle enim proficere in eo eſſe debet ex mandato commendantis: verùm ut proficiat gratia eſt incrementum dantis, &c.

Poteſtas prælati in his quæ ſunt exterioris hominis.

Quorſum hæc? niſi ut intelligamus, quicquid poteſt fidelis & prudens ſervus Dei ſuper commiſſum ſibi gregem in communicando, ædificando, proficiendo, regendo ſollicitè & utiliter præſidendo, totum hoc exterioris eſt hominis. Interior enim homo, qui ſecundum Deum creatus eſt, non eſt homo quamdiu mortuus eſt. Mortuus autem, quamdiu non in vitam illam, quæ per charitatem eſt, reſpirat. Dicit enim ſemper in reliquis donis finaliter concludendo: Nihil ſum. Itidem: Mortuus ſum. Interior enim homo, ſicut imago duntaxat eſt Dei ſecundum ſolum Deum, ita à ſolo Deo creatus eſt, neq; ullam in eum, aut ſuper eum, accepit autoritatem. Et hoc voluit Ambroſius duntaxat, quando dixit, ſacerdotem exhibere quidem miniſterium, nullius tamen exercere jura poteſtatis, in interiorem videlicet hominem. Et ſicut hic interior de die in diem renovatur, ſic de die in diem mundatur, donec formetur Chriſtus in eo. Hanc verò mundationem, renovationem, formationem, reformationem non accepit Petrus in paſtoralem commiſſionem. Unde nec eorum, quæ niſi poſt eam, & per eam interior homo conſequi poteſt, paſtoralem accepit commiſſionem, qualia ſunt, ut formato Chriſto in nobis mundo corde occurramus Deo, admittamur ad videndum Deum, & irruamus in amplexus amoris, & aſſurgamus ad oſculum concordis voluntatis, non ſolùm, ſed ejuſdem per omnia voluntatis, neq; ullo nævo aut deformitate minus dignus habitus divini contubernii thalamo excludatur. Hunc igitur thalami ingreſſum, quia nemo niſi corde mundus, & ſecundum Deum creatus, perfectus vir in menſuram ætatis & plenitudinis conſequitur, reſtat, ut qui munditiam hanc & formationem, reformationem

Nota verbum Apoſtoli: Nihil ſum.

De renovatione ut formetur Chriſtus in nobis.

nem

nem & perfectionem & plenitudinem dare non potest, etiam dilationem ab ingressu autoritate sua tollere non possit, aut obstantes nævos remittere. Quid ergo per plenariam remissionem, Petri successores, non video, licet multi dicant Scholastici de potestatæ pœnæ relaxandæ. Quis enim neget pœnam esse amanti, & taliter amanti, si velut indignus excludatur, desideria dilata affligunt animam, & eò magis affligunt, quò fuerint ardentiora? Et ex altera parte si se norit propterea differri, quia indignus est, quanto credimus in se ipsum zelo exardescat, duplici igne uritur, & exuritur iste dilatus & exclusus, & hunc duplicem ignem verè purgatorium interioris hominis, & mundantem cor, donec mundo corde Deum videat: & interim omni morte corporali, omni igne corporali gravius urens, quantò ex ardentiore æstu desiderantis processerit. Hunc ignẽ si propter indulgentias Petrus aut Paulus tollere vellet, valdè esset importunus: quia omnem decorem speciosissimæ illius & spectatu gratissimæ successionis tolleret, & suavitatem percipientis: purissimi enim & limpidissimi illius fontis haustus, tum puto dulcissimus erit, quando plurimum sitienti benevolentissimè condonatur, contraq; incurio atque ignavo, quales pleriq; verè confessorum, & verè contritorum, & in gratia constitutorum existunt, offeratur, importunè offeretur, quamdiu non mundi & perfecto amore ardentes existunt. Quis enim ex nobis poterit habitare cum ignibus sempiternis, qui adhuc caro sumus, quousque adhuc carnalis affectio, & si non contra Deum, tamen adhuc à Deo detinet inviscatos. Quid sibi vult purgatorium nomen, nisi purgationem, purgatio quasi ad purum actio. Depuratio autem impuri abjectio, emundatio. Habet ergo omnis purgandus impurum aliquid & immundum, quod etiam in justis manet post hanc vitam.

Nullum filiorum charitatis purgatorium nisi amoris.

Nemo immundus corde Deum videbit, quamdiu manet illa

Quamdiu im-

mundi corde non videbimus Deum.

illa cordis immunditia. Multi verè confeſſi & ſalubriter contriti, & verè exiſtentes in gratia & charitate, adhuc ſunt immundi corde. Ergo tales cum tali immunditia cordis morientes, non ſtatim videbunt Deum. Hic ſyllogiſmus patitur aliqualem inſtantiam circa materiam de indulgentiis, ſed majorem de efficacia ſacramentorum, præſertim baptiſmi, ubi omnes confitentur, quòd plenariam remiſſionem tribuat. Non enim poſſibile, duas invicem veritates repugnare, oportet ergo ambas ſimul ſalvas eſſe, ſi veritates ſunt Theologicæ. Verum autem eſt, quod ad illam beatificam viſionem regis Hieruſalem in decore ſuo contemplandam, nullus quantumlibet civis ſanctorum & domeſticus Dei admittetur, quamdiu aliquid immundum in ſe habuerit. Nihil enim immundum intrabit in illam civitatem, ubi non lucernæ lunæ, aut ſolis lumine lumen lucet, ſed pro ſole Dominus mentis oculos illuminat. Verum item eſt, baptiſmum & ſacramentum pœnitentiæ omnia peccata tollere, & integrè. De ſacramento pœnitentiæ ſimiliter confiteri oportet. Non enim filius gratiæ parciùs providit, quàm filius iræ. Sed hoc accipiendum de his, quæ fecit ante baptiſmum & ante pœnitentiam. Illa enim quia non amplius in poteſtate ſunt credenti in Deum & reſpicienti & adhærenti: adhærenti magno ſacerdoti & hoſtiæ magnæ, per fidem prorſus mundantur. Si autem inter mundandum, aliquid immundum admiſcuerit, quia id in ſua poteſtate & culpa, non ſacramenti defectu contingit, ut vivus, ſed non mundus, tamen à baptiſmo aſcendit, etiam ſi à Petro vel Paulo baptizetur. Signat ſatis hoc Paulus, per differentias eorũ qui vero fundamento, quod eſt Jeſus Chriſtus, verè & ſalubriter ſuperædificati, ſuperædificant nihilò minus fœnum, ſtipulam, lignum: alii melius, argentum: alii optima, & lapides pretioſos prorſus ab igne non lædendos. Omnium tamen horum opus quale fuerit, ignis probabit. Si igitur neq; pœnitentiæ

Baptiſmus & pœnitentia tollunt omnia peccata, ſed præterita, non præſentia.

tentiæ

tentiæ ſacramentum, neq; baptiſmus mundare poſſunt ſecundum legem urentis juſtificationis, neq; gratia præſens, & multum ſtudium charitatis etiam perfectæ, neq; ipſe Spiritus ſanctus illapſus & præſens, niſi inſuper ſtudium ipſum perfectè mundum fuerit, non video qua fiducia ſummus Pontifex paſſim tantæ multitudini hujus ignis immunitatem, & immunditiæ impunitatem polliceatur, &c. præſertim cùm hic ignis, licet fortaſſis etiam alium ſibi ſubſervientem habeat, ipſe tamen magis charitas & maximè Spiritus ſanctus ſit.

Baptiſmus ad vitam regenerat credentem.

Baptiſmus morte ad vitam regenerat à præteritis omnibus credentem, ſive pœnitentem, ſive non pœnitentem abluit & mundat, ut neq; ad culpam, neque ad pœnam imputentur. Unde ſicut in baptiſmo, quem Deus à culpa mundat, etiam ad pœnam non imputat: ita etiam in pœnitentia quantum à culpa, tantum & de pœna. Nam in baptiſmo quantumlibet præterita etiam ſine pœnitentia dimittantur: ſi tamen placeant præterita adeò, ut velit habita opportunitate redire ad illa, etiã ſi à Petro ipſo baptizaretur, non mundaretur: & ſi nõ placeant ad opus iterandum, placeant nihilò minus aliqualiter, ſed venialiter, in tantum baptiſmus ejus immundus eſt, cætera mundatus. Ita & in confeſſione & in contritione pro tanto mundatur, quanto nihil impuritatis admiſcet inter pœnitendum, ut ſi penitùs mundus pœnitet, prorſus omnium præteritorum impunitatem conſequitur, adeò, ut cùm ignis ille opus ejus probaverit, ſi nihil urendum inveniat, abſq; detrimento tranſeat, neq; in ea munditia quiſquam præter Deum dijudicare poteſt, neq; Papa, neq; Eccleſia tota. Unde ad illius finalis ignis impunitatem, neq; Papa, neq; Concilium indulgentias facere poſſunt: judicii autoritatem non habent, ubi dignoſcere non poſſunt: & hinc argumentum, quòd miniſter ſacramentum miniſtrat, ſed gratiæ effectum non præſtat: quia mentem acceden-

tis dijudicare non poteſt. Sacramentorum ergo effectus apud illum eſt, qui corda novit accedentium, & hic à peccatis abſolvit, non miniſter: & quantum abſolvit à peccato, tantum abſolvit à pœna.

Ejuſdem D. Weſſeli ſententia, quòd exiſtentes in purgatorio proficiant poſt hanc vitam, ex verbis Petri Apoſtoli elicita: de Evangelio & pulſatione Chriſti poſt mortem: cum propoſitionibus ex eodem textu elicitis.

Multa ignota viventibus Theologis de ſtatu poſt mortem carnis.

Multa poſt mortem carnis indefinita & ignota viventibus Theologis in hoc mundo, facilè convincit verbum illud primæ Canonicæ Petri *c. 3.* in fine dicentis: Quòd Chriſtus ſemel mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. In quo & his qui in carcere erant, ſpiritu veniens prædicavit, diſcredentibus aliquando, quando ſuſcepta Dei longanimitas in diebus Noë, quando Archa parabatur. Facit non minus verbum ſequens in principio quarti cap. ejuſdem ad eandem ſententiam: Qui reddent rationem ei, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis evangelizata ſunt, ut judicentur: mortuis quidem ſecundum homines carne, viventibus autem ſecundum Deum ſpiritu. Hoc poſtremum ſi cum primo conferatur (ſicut oportet omnia verba S. Scripturæ benè intellecta invicem convenientia mutuo ſe declarare) valdè ratam ſententiam facient. Iſtam ſcilicet, quòd Chriſtus mortuus pro peccatis noſtris, juſtus pro injuſtis, mortificatus quidem carne, vivificatus ſpiritu, his qui in carcere erant, ſpiritu veniens prædicavit, diſcredentibus aliquando, & ab eodem, quia ab eo paratum habet judicare vivos & mortuos. Ab eodem, inquam, Chriſto evangelizata ſunt mortuis, quia ſpiritu veniens prædicavit. Semper enim ejus prædicatio Evangelium eſt, ut judicentur, hoc eſt, vel credentes ſalventur, vel tanto Evangeliſtæ increduli conde-

condemnentur. Et eis mortuis qui in carcere: quia ſubditur expreſsè in textu, mortuis quidem ſecundum homines carne, viventibus autem ſecundum Deum ſpiritu.

Solvitur ſcrupulus prædictæ ſententiæ contrarius.

Sed hic ſcrupulus quidam contra hanc ſententiam, & contra meam opinionem, quod Latinus textus habet, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu. Qui ſi verus eſſet, parvum ſcrupulum afferret priori ſententiæ. Sed Græcus textus clariùs ad prædictam ſententiam facit, quia Græcè ponuntur illa duo participia in Nominativo ſingulari θανατωθείς, ζωοποιηθείς, non in Accuſativo plurali θανατωθείς, &c. Patet hoc ex litera ſequenti, qua relativum quo refert ſpiritum Chriſti, non vivificatorum, quia non illorum ſpiritu, ſed ſuo ſpiritu venit. Igitur ſi Chriſtus carne mortuus, & ſpiritu vivificatus, Evangeliſta prædicavit his qui in carcere, mortuis quidem carne, viventibus autem ſpiritu, diſcredentibus aliquando, ſuſcipientibus tamen Dei longanimitatem, oportebit confiteri, mortuos illos, carne mortuos, ſpiritu viventes, in parte quidem crediďiſſe: quia ſine fide impoſſibile placere Deo: ſed in parte nõ expreſsè credidiſſe, quare enim alias tantus Evangeliſta prędicaret eis? Et oportebit confiteri valdè magnum abditorum verborum, quæ non licet homini loqui, hoc Evangelium fuiſſe, quod à tanto Evangeliſta prædicabatur.

De pereuntibus in diluvio pia opinio.

Valdè enim humanum videtur, credere in tanta multitudine in diluvio pereuntium omnium, fuiſſe nonnullos, quemadmodum in Ninive multa millia, neſcientium quid ſit inter dextrum & ſiniſtrum, qui Noë prædicationem non audierunt, vel etiam ad quos pervenire non potuit, qui tamen cùm perirent ſalutari ſanctorum angelorum inſtinctu converſi fuerunt ad Dominum, per eoſdem angelos de neceſſariis edocti & moniti. Valdè enim clarum radium latiſſimæ & abditæ miſerationis, & longè aliorum judiciorum Deus in verbo illo de Ninivi-

tis ad Jonam detexit. Nec obstat verbum B. Petri, quòd in archa octo animæ salvæ factæ sint per aquam. Illa enim salus tantùm corporalis, contra corporalem cæterorum pereuntium perditionem. Patet hoc, quoniam in illis octo animabus, Cham derisor patris, pater Chanaan supputatur, exclusus à reliquis duobus filiis benedictionis. Salus enim, quæ per archam facta fuit, corporalis tantùm fuit, quia animantibus mundis & immundis, ut illis octo animabus, communis.

Et gravissimè facit in hanc sententiam verbum causale, quo dicit: Propter hoc evangelizatum mortuis à tanto Evangelista & prædicatore, ut judicentur: quasi dicat, non judicandos cum angelis vel Dæmonibus, nisi parem angelis charitatem, vel Dæmonibus contumaciam, tanto prædicatori & Evangelistæ præsenti exhibeant. Hæc sic dixerim pro meo captu interim, quia mihi verba sacri Canonis ita urgere videntur, paratus acquiescere cuicunq; clariorem & congruentiorem verbis sententiam afferenti. Oportet autem exponentem sententiam congruere verbis textus, & non extortam esse. Omnis enim extorta sententia, quæ metu argumentorum dissidet à forma Canonis, debet esse suspecta de hæresi: facit non minùs hoc verbum, ut judicentur, pro omnibus, quàm pro illis in carcere & limbo, quia si propterea evangelizata sunt illis, ut judicentur, ergo omnia illis evangelizata, de quibus judicabuntur. Omnes ergo per Christum judicandi ante per ipsum Christum ut justè judicentur prædicantem evangelizabuntur. Sed quale credimus fore illud Evangelium, quàm latum, quàm clarum, quàm efficax, ut verè qui sic audiens ejus venientis, & sic pulsantis obdurat cor suum, nullam in sequenti judicio habebit excusationem de peccato suo, sed in ira sua juret, & juratam sententiam dictet, non introituros in requiem suam, sed justè cum Diabolo pari maledicto in ignem æternum alligandos.

Notet scripturarum declarator, ut sententia congruat verbis textus.

Non

Non enim tali Evangelistæ & prædicatori difficile quibuscunq; qualitercunq; dispositis, quamlibet necessariam agnitionem illustratione sui adventus infundere.

PROPOSITIONES ELICITÆ EX EISDEM VERBIS PETRI, DE EVANGELIO ET pulsatione filii hominis, missæ domino Ludolpho, Decano sancti Martini, Ecclesiæ Trajectensis.

Sunt igitur conclusiones ex hoc textu:

1. *Quòd Christus in spiritu prædicavit.*
2. *Quòd Christus in carne mortificatus prædicavit.*
3. *Quòd incarceratis prædicavit.*
4. *Quòd in spiritu venit ad illos carne mortificatus.*
5. *Quòd illi incarcerati erant carne mortui.*
6. *Quòd illi incarcerati carne mortui vivebant spiritu.*
7. *Quòd illi incarcerati aliquando fuerunt increduli veritati.*
8. *Quòd illi increduli veritati, crediderunt quātum satis erat ad salutem.*
9. *Quòd illi increduli facti acceperunt patientiam, vel potius longanimitatem Dei.*
10. *Quòd illi incarcerati crediderunt, sed imperfectè.*
11. *Quòd illi imperfecti opus habuerunt prædicante & evangelizante, ut in sapientia fidei perseverarent.*
12. *Quòd illis imperfectis evangelizatum, ut pararentur ad judicium.*
13. *Quòd illi evangelizati ante Evangelium prædicantis Iesu non parati, aut integrè dispositi ad judicium.*
14. *Quòd illi evangelizati, postquam Christus venit & evangelizavit, si non credant, excusationem non habent de peccato.*

15. Quòd qui magno & summo Evangelistæ credit, ut adhæreat integro corde, verè habet vitam æternam.

16. Omni homini veniet filius hominis prædicator Evangelista magnus pulsans.

17. Quòd cuiq; audienti vocem pulsantis & evangelizantis credenti adhærenti fideliter, Christus Evangelista factus est, eum non deserat donec perficiat.

18. Quòd totus processus illorum evangelizatorum paradisus est regnum antecedens.

19. In statu innocentiæ paradisus tempore ac duratione & mora præcessisset regnum cœlorum.

20. Quòd rationabile & probabile, quòd talem paradisum latroni Christus promisit.

21. Quòd soli evangelizati per magnum Evangelistam idoneè dispositi sunt, ut æterno judicio judicentur.

22. Quòd æternũ judiciũ perfectè justos pares angelis definiet.

23. Quòd qui veniente filio hominis, & magno Evangelio pulsante simul & coruscante, cor suum obduraverit, dignè cum Dæmonibus judicabitur.

24. Quòd omnis judicandus ante judicium per hunc Evangelistam evangelizandus.

25. Quòd diversa multum sunt inter se hoc Evangelium, & hoc judicium.

26. Quòd in statu originalis justitiæ paradisus tempore & duratione præcessisset.

27. Quòd processus medius inter Evangeliũ perficiendorum usque ad plenam idoneitatem judicandorum non incongruè paradisus nominatur.

28. Quòd probabile, quòd Christus talem spiritualem paradisum latroni in cruce promisit.

29. Quòd non puto latronem illum judicio suo magis idoneum fuisse

fuisse multis probatissimis Patribus veteris Testamenti clarissimis Dei amicis.

30. *Quòd si illos tam sanctos viros adhuc per magnum Evangelistam institui oportuit, ut judicarentur, non facilè credo popularem hodie multitudinem Christianam hinc exeuntem, ut magno illo Evangelista non opus habeat.*

31. *Quòd nullus ex hac vita, nisi per evangelizantem Christum perfectè monitus, perfectè doctus, perfectè motus, perficiatur.*

32. *In nullius mortalis hominis arbitrio constitutum, quantum quemq; Christus moveat, doceat, moneat illo suæ pulsationis Evangelio.*

33. *Quòd Christi Evangelium, est solum, verum, præcipuum purgatorium, licet etiam alia minus principaliter etiam possint rationabiliter tolerari.*

Quòd Evangelium Christi sit verum purgatorium.

34. *Quòd idem ergo verum purgatorium est paradisus, sed amanti tantò amarior, quantò magis ipsa purgatior divino amore flagrarit.*

35. *Hunc flagrantis animæ ardorem & amaritudinem ego puto verum, postremum & perfectissimum purgatorium.*

36. *Quòd in originali justitia multa valdè suberat imperfectio, multa igitur restabat purgatio.*

37. *Hoc Evangelium non est impossibile, neq; evangelizanti, neq; evangelizatori.*

38. *Quod non est expresse contra aliquem passum scripturæ.*

39. *Quòd si talis evangelizatio ponatur, multæ sacræ Scripturæ passus faciliùs enodabuntur.*

40. *Quod neq; Deum, neq; Christum dedecet.*

41. *Quod si sic fiat manifestè omnia scripturæ loca mutuò congruent.*

42. *Hæc sunt, quæ movent ut faveam, non tamen permovent ut asseram, &c.*

DE EVANGELIO ÆTERNO, QUANDO, ET QUOMODO, ET à quo Evangelizandum.

1. Lex naturæ longè sub lege divina.

2. Lex naturæ omnibus hominibus abdita rectitudo.

3. Legis divinæ omnibus hominibus inscrutabilis abyssus.

4. Legis divinæ forma traditionis, vix paucissimis, ingeniosissimis, otiosissimis, ad hoc studiosissimis explicabilis.

5. Legis divinæ omnibus explendæ proposito Dei super imposito necessitas, quia ad imaginem & similitudinem.

6. Legis igitur perfecta institutio alibi expectanda.

7. Legis Dei integritas ad imaginem & similitudinem Dei necessaria.

8. Legis Dei perfecta integritas, necessariò ingressum regni Dei antecedit, quia sanctum esse oportet antequam beatum.

9. Legis divinæ sensus literalis est, quo non in proverbiis loquitur: Verbum caro factum.

10. Veniet hora, cùm non in proverbiis loquatur filius hominis, sed palàm de patre annunciabit.

11. Quæ palàm annunciabit de patre absq; proverbiis, illa erunt Evangelium æternum.

12. Evangelium æternum non est parabolicum, non proverbiale, non de lingua in linguam interpretabile, non vocale. Evangelium æternum quale, & quando, & à quo Evangelizandum.

13. Evangelium non vocale, non parabolicum, non proverbiale, nulla virtute organica susceptibile, quoniam absq; phantasmate.

14. Commodissimè & opportunissimè illud Evangelium evangelizabatur, quando viribus organicis omnibus homo destitutus, solas intellectiones, & nostra desideria in Deum, non per phantasmata intelligimus.

15. Pau-

15. *Paucissimi possunt in hac vita intelligere phantasmata non speculantes.*

16. *Phantasmatum speculatio impedit intelligentiæ puritatem.*

17. *Potentia inorganica in operando conjuncta organicè, minor est sua naturali operatione in hac vita.*

18. *Interior homo suis limitibus inorganicus est prorsus, oculus interioris hominis valdè clausus in cognitione intuitiva.*

19. *Interior homo non impeditus & finis proprius divini propositi facientis hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

20. *Propositum Dei non excidit, ut obliviscatur Deus, vel derelinquat opus suum Deus volens omnes homines salvos fieri.*

21. *Lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

22. *Illuminare dignabitur perfectè, quos tantoperè redemit, quos perfectè redemit.*

23. *Perfectè de opere redemptionis illuminabit, ut si obdurent corda sua, non habeant excusationem de peccato.*

24. *Nisi veniat filius hominis pulsans, illuminans de opere quod nemo alius facere potuit, peccatum illud obdurati cordis non habent. Nunc enim quia viderunt me, & oderunt me & patrem meum, excusationem non habent de peccato.*

25. *Si non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, & si non legitimè certat, qui non totam legem implet, qui vel jota unum reliquerit mandati lati nimis, liquet neminem coronandum, qui non in latitudine mentis legem impleverit. Hoc non ad lumen lucernæ, neq; orientis luciferi. Hanc latitudinem Salomon significavit, quando dixit: Semitam justorum lucem proficientem in perfectum diem, hoc est, in omnem legis lucem in mente, in omnem gloriæ splendorem, in intelligentia, in omnem charitatis fervorem, in voluntate.*

An S. Stephanus statim post mortem sit coronatus?

SEntentiæ illæ de dilato ingressu purgandorum vehementer refragatur verbum illud *Act.2.* de Stephano vidente cœlos apertos, & obdormiente in Domino. Expresse enim dicit scriptura: Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris. Verùm quia hæc verba de Patribus veteris Testamenti nō minus urunt, ideò pari possunt moderatione, imò propter alia scripturæ verba oportet ut etiã de Stephano moderentur. Si enim Abraham in pace collectus, qui exultavit ut videret Christi diem, si vidit, & gavisus est. Si Moyses loquebatur cum Deo facie ad faciem, sicut amicus ad amicum, cùm adhuc esset in carne, carne solutus quomodo exultavit, ut videret diem Christi? Et quando loquebatur cum eo in monte videns Jesum, quantò gavisus sit, quis explicet? Et Lazarus ulceribus plenus, ab angelis delatus in sinum Abrahę, non quo Abraham illlum recepit, nisi felici communione, sed quo ipse Abraham consolabatur, & cum Moyse expectantes beatam spem. Verè dilecti, verè dato somno dormientes in pace in idipsum & requiescentes. Manifestè enim dicit Apostolus *ad Hebr.2.* Sanctos per fidem operatos justitiam, adeptos repromissiones, cùm tamen in fine capituli plurimis grandibus virtutibus enumeratis, concludat: Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo meliùs aliquid providente pro nobis, ne sine nobis consummarentur, vel potius perficerentur. Liquet igitur gradus esse in promissione adepta, & nondum adepta. Imò si meliùs aliquid pro Paulo & sanctis providit Deus, ne Abraham, Moses, David sine Paulo & suis acciperent promissiones, ergo neq; tunc Stephanus adhuc accepit promissionem, quando Apostolus ista scribebat Hebræis. Et quia non de visione Apostoli intelligit, ideò gradus

dus in repromissione oportet accipere. Imò gradus in beatitudine videntium Deum. Quare non gradus in sanctitate? Et quis novit, qui gradus consummatæ sanctitatis? Et si meliùs pro nobis est, sanctos illos non sine nobis perfici, quis definire audebit, angelos in illa beatifica visione, qua semper vident faciem patris, consummatos esse sine nobis, ut in eis sine nobis consummatus Deus non hic pro nobis meliùs providerit? In quo enim id meliùs, nisi suam consummationem orantes, etiam pro nobis orare monentur, sine quibus non consummabuntur aut perficientur. Cùm igitur omnes administratorii sint spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis, quare non in eis non consummatis absq; nobis id meliùs pro nobis Deus providerit? Saltem hoc loco satis est, neminem posse dicere sine nobis consummatos finaliter, cùm liquidò constet, sacerdotio Christi profecisse, cum sanctitate per sacerdotium sanctum, cum beatitudine: quòd si profecerunt illo, quis definiet consummatos, absq; nobis? &c.

Angeli sancti sine nobis non consummabuntur.

WESSELUS IN QUADAM EPISTOLA.

Miror ego te virum doctissimum, nō meminisse terribilem illum ignē rationabilem, atq; igneam legē in manu Dei, inscribendam in cordibus nostris. Ignem, inquā, rationabilem, opus uniuscujusq; probantem: simulq; lignum, fœnum, stipulam exurentem, videlicet omnem malum amorem, *secundum Augustin. de verbis Domini*. Itemq; *lib. 21. c. 26. de civit. Dei.* Malos igitur amores, imperfectam adhuc à carne solutam charitatem puto. Existimo igitur in carne solutis, oportere crescere charitatem in eam distantiam, dissimilitudinem & perfectionem, qua distant cœli à terra, & qua lumen lucernæ ad perfectum diem. Juxta illud: Justorum semita quasi lux crescens in perfectum diem. Et propter hanc inæqualitatem puto, quòd Dominus

De igne purgatoris secundum Augustinum.

nus Jesus regnum cœlorum grano sinapis & globo cœli commensuravit. Omnes in gratia morientes priusquàm carne solvantur in lumine lucernæ vigilantes, expectant Dominum parati suscipere cum exultatione, ubi pulsantem audiunt, & confestim aperientes suscipiunt cum magno desiderio expectatũ, evacuunt lumen lucernæ in matutinum sydus, orientis eis luciferi lumine commutantes. Et illius felici ducatu & beneficio quo dignè crescere possint, orant cum Simeone, ut carne solvantur, & cum latrone in gratiam recepto, in paradisum restituantur. Illic ipse, *ut Ezechiel. eulogio 34.* promittit, requiret oves suas, &c. & liberabit eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis, ducet eas de populis, & congregabit eas de terris, & inducet eas in terram suam, & pascet eas in montibus Israël, in rivis & cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascet eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earũ, ubi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Ipse Dominus Jesus pastor eorum pascet oves suas, & accumbere faciet. Quod sanum in eis fovebit, & quod minus curabit, requirens quod perierat, reducens quod abjectum, alligans quod confractum, & quod infirmum consolidans, quod pingue & forte custodiens, pascens eas in judicio. Idem ergo pastor & judex, & David fidelis pastor secundum cor Domini, omnem Dei voluntatem faciens, in ovibus gregis Dei, pascetq; eas quousq; auroram evacuet, aspirans dies, quam & aspirantem diem Sol oriens evacuet. Et hic jam primò pastor David regnnm tradet Deo, postremò perfectissimè traditurus post judicium universorum.

De morte piorum & profectu.

De profectu animarum carne solutarum.

Hanc seriem ducatus animarum, à lumine lucernæ præsentis exilii, quo pusilla sapientia fidei nostræ sicut granum sinapis est, & velut parvum centrum quod crescere oportet in illam

cœle-

cœlestis globi immensitatem, universum processum, & felix animarum incrementum usque ad orientem Solem, purgationem puto. Et in hac purgatione non pœnam, quæ ad modicum utilis, sed ad omnia valentem pietatem, & illam pietatem per se purgatricem. Habet nihilò minus illa pietas, imò flagrans amor dilatus languorem & pœnam suam, habet etiam felicem consolationem. Consolatur præsentia pastoris & salvatoris. Verùm quia Doctor & Evangelista est missus à patre docens amorem, quo ipse patrem amavit & amat, & illum suum amorem imitati inardescunt amore.

Non pœna, sed pietas per se purgat animas.

Sed quia nondum dignè amant, adhuc differuntur, & affligitur anima eorum. Hæc afflictio non dolor, sed mœror est secundum Deum, & sicut ex charitate Dei, ita efficax, ut charitatis augmentum impetret. Et quantò merentior, tantò satisfactior, tantoq; impetrantior.

Verum piarum animarum purgatorium.

Unde valdè miror communem doctorum nostræ scholæ inadvertentiam, qui non veterum primævé Ecclesiæ autoritate moventur, purgatorium ignem à punitorio distinguere.

Greg. Nazianzenus purgatorium ignem dicit, quem Dominus Jesus mittit in terrā, volens ut ardeat. Et istum, quia sordes rationabiles imperfectæ scientiæ, imperfecti de Deo judicii & imperfectæ justitiæ purgare debet, rationalē esse oportebit. Quod etiā Paulus innuit, quando dicit ignē illum probaturū: qui si probat, utiq; cognoscit, quale uniuscujusq; opus fuerit.

Punitorium verò ignem dicit illum qui præparatus est Diabolo & angelis ejus. Multum enim insolens, & nova verborum licentia, ut purgare dicamus illum, qui nihil impurum aufert. Hæc Wesselus.

Ignis punitorius.

Orare pro defunctis quare salubris cogitatio.

Quemadmodum Psalmista adhortatur angelos fortes virtute facientes verbum ejus ad audiendam vocem verbi ejus,

Pro defunctis orare, salubris est cogitatio.

qui tamen tota virtute & fortitudine id faciunt, ita licet optare ut faciant, & orare, ut faciant quod faciunt. Quemadmodum pro illis, ita pro dormientibus exorare, ut à peccatis solvantur, sancta & salubris est cogitatio: sicut sanctum & salubre, velle quæ vult Deus, & orare ut fiant quæ vult fieri. Potest enim pia voluntas converti super omne quod est primum, & citra primum & primi voluntatem in omnibus desiderare & orare.

FINIS.

SEQUUNTUR QUÆDAM EPISTOLÆ EJUSDEM DOCTORIS.

EPISTOLA D. WESSELI GRONINGENSIS, AD fratrem Bernhardum Meppensem, Canonicum Regularem, de profectu & statu animarum post hanc vitam, quid & quomodo pro eis orandum, &c.

De perfecta salute.

SAlutem: quæ si vera, verè salvat à peccatis populum Jesu. Si perfecta, perfectè salvat à peccatis, unde ab omni peccato. Peccatum autem grande, talem amatorem nõ redamare. Huic venienti & pulsanti, nemo confestim aperit, nisi cum pulsu adveniat repentè de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & aperiens induatur virtute ex alto, ut amatorem amans, dignè recipiat in spiritu judicii & ardoris, lavante sordes filiarum Sion, sordes dico non amantium talem amatorem. Hic accipiunt in ulnas, & grandi ore benedicunt, orant in pace dimitti secundum verbum Domini: gratias agunt de viso salutari salvante à peccato, salutari parato ante faciem omnium populorum. Et hæc in lumine orientis luciferi nondum corpore soluti. Et voti compotes apud illum salvatorem, solvuntur à car-

De profectu & statu animarum.

carcere captivitatis, à carne peccati, à corpore corruptionis, & hoc, morte tam pretiosa in conspectu Domini, ut qui salvi fiunt in magna vita sapientiæ, gloriæ & charitatis confirmati solvantur, adeò confirmati, quo nulla deinceps creatura possit eos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Hic ad lumen lucernæ nominibus & nunciis omnia nobis geruntur, veniente filio hominis, & cum vehementi sono advenientis spiritus, induente virtute ex alto, agni nomē in speciem transit, ut qui ante exaltato nomine formosus fuit, fiat speciosus forma præ filiis hominum in lumine orientis luciferi. Nimirum hinc pretiosa in conspectu Domini morte solvente ab omnibus infirmitatibus, & in illam sanctam vitā vivificante & conformante, transeunt in illucescentem & aspirantem diem, felices viatores, donec eis conspicuus oriatur Sol, non jam ambulantes in viis Domini, non currentes, non saltantes. Imò minus dicere puto, si dixero volantes: credo autem potiùs raptos, aut fulguris instar in latissimo illo mane lucentis ante Solis ortum diei magnæ, latissima, altissima die diffusionum flagrare charitate. Hæc si mihi hanc vitam miserabilem functo succedant, volam quæ Deus de me volet. Volet autem, ut ex illucescente die in lumen Solis orientis procedam, hoc orare debebo. Idipsum orant angeli pro defunctis. Oramus etiam & nos pro angelis, quando oramus, ut eorum beata desideria de nobis fiant efficacia. Idipsum orat Ecclesia tota, vel orare debet. Orant pro nobis defuncti, ut in illorum felicem societatem traducamur. Angelorum pro defunctis beatior oratio. Defunctorum pro nobis quàm nostra felicior oratio, vel pro nobis, vel pro illis. Si quis autem orat, ut à peccatis solvantur, qui tanti amatoris testimonio prorsus immaculati perfectiq; sunt, & adhuc tamen viatores, quia quærunt, & non inveniunt, quia vocant, & non respondet. Hæc oratio licet ex pietate procedat, habet nihilò minus errorem admixtum.

De statu animarum post hanc vitam.

Oratio pro defunctis & pro angelis.

Defuncti orant pro nobis.

Quid orandum pro mortuis.

mixtum. De tali ego dixi oratione me dubitare, si vellem pro me defuncto fieri devotorum orationes, volo quòd orent pro me sanctificando & perficiendo in lumen magis ac magis lucescentis & aspirantis diei, quo mox orituri Solis lumen sanctum, in beatam orti Solis speciem transeat: quemadmodum agni nomẽ in felicem speciem transivit, ut oculo ad oculum omnes thesauros domus Dei in Christo videam immensos illos thesauros sapientiæ, gloriæ & charitatis, & quicquid in eo creati decoris est contemnentes, & in illum increatum solem quærendo rapti nondum inveniunt, quia vocatus necdum votis respondet. Hæc angeli beati pro jam felicibus orant. Hæc felices jam pro seipsis beatificandis orant. Hæc miserabiles pro felicibus orare debemus. Non autem debemus pietati errorem commiscere: sed sic orare, quo per sapientiam & rectitudinem orantis fervor orationis ascendat, & accendatur velut incensum in conspectu Domini. Hic est baptismus in Spiritu sancto, quo in primitiva Ecclesia baptizabant pro mortuis. Et si qui aliter baptizabantur, puto notatos per subjectam quæstionem, ut quid baptizabantur pro illis, quasi dicat, baptismum illorum detrimentum pati, & pro tanto inutilem, &c

Quomodo orandum pro mortuis.

Baptizari pro mortuis.

PROPOSITIONES.

1. *Sancta cogitatio, exorare pro mortuis.*
2. *Sanctum eorum desiderium exorantium pro vivis.*
3. *Sanctius eorum desiderium pro nobis, quàm nostrum pro illis, quantò sunt sanctiores.*
4. *Sancta nostra cogitatio exorare pro beatis, ut celerius duplices stolas accipiant.*
5. *Sanctum desiderium pro angelis, ut ministerii sui votivum fructum accipiant.*
6. *Si tamen quis pro mortuo exorat, qui talis est, ut ex Canticis*

sponsa

ſponſa deſcribitur, tota pulchra, immaculata, licet ejus oratio de pietate procedit, errat nihilominus, petens ut à peccatis ſolvatur, quemadmodum errat pro angelo petens, ut à mœrore ſolveretur.

7. *Placet illis noſtra pietas orantium pro illis.*

8. *Prodeſt nobis illorum acceptiſſima charitas inenarrabilibus gemitibus interpellantium pro nobis, hoc in hac vita non poterant.*

9. *Quomodo enim illic gemitus, quomodo hic inenarrabiles?*

10. *Oratio noſtra quanto ex pietate procedens, ſancta eſt, ſed quanto erronea eſt, pro tanto adhuc ſancta non eſt. Eſt igitur ſancta & non ſancta, quemadmodum quæ in medio conſtituta partialiter participantia denominantur & affirmativè & negativè.*

EPISTOLA D. WESSELI, PROVOCANS QVENdam ad diſputationem, de impletione S. Scripturæ, de imperfectione ſanctorum Apoſtolorum & martyrum, qui etiam poſt hanc vitam non mox ſunt coronati, ſed adhuc proficere & creſcere opus habebant in purgatorio, hoc eſt, in paradiſo.

SAlutem, & eam utriuſq; hominis, ſed interioris plurimam & perfectam. Mandaſti per hunc Henricum meum, ſi cominus eſſem (quod eminus conſtitutum nequis) diſputando me ſanares. Et revera credo: quia valdè acutorum ingeniorum diſputationibus gaudeo: ſemper enim vel diſco vel doceo, cùm utriuſq; me ſciam debitorem, ſapientum ut diſcam, diſcere cupientium debitor ſum quo doceam. Igitur diſputationis inter nos ſeminarium ſpargam.

Sapientibus & inſipientibus debitores ſumus.

Ecce hanc tibi meam ſub domini Abbatis arbitrio cauſam intento, non minùs de purgatorio, quàm de indulgentiis, jamdudum noſti. Ecce nunc argumenta produco: Primum, quòd univerſa ſcriptura una copulativa eſt, cujus neceſſe eſt omnes partes per Spiritum ſanctum inſpiratas & veras eſſe. Non enim copu-

Tota ſcriptura una copulativa eſt, cujus omnes partes veras eſſe neceſſe eſt.

copulativa vera, cujus vel minima pars falſa eſt. Sed in hac tam lata copulativa una pars eſt, quod neceſſe eſt omnem legem ita impleri, ut nec apex, nec jota deſit. Perfectè igitur omnem ſcripturam divinitùs inſpiratam compleri neceſſe eſt, ut nec apex, nec jota deſit. Per eandem ſcripturam Spiritus ſanctus per Paulum omnes nos deſpondit exhibere virginem caſtam uni viro Chriſto, non habentem maculam, neq; rugam, neque aliquid hujuſmodi. Hanc autem deſponſationem non Paulus, ſed Spiritus ſanctus per Paulum deſpondit, & tamen in ipſo Paulo, quamdiu in hac vita fuit, non perfectam in ſe reperit, ut nec apex, nec jota deeſſet, ut neque maculam, neq; rugam haberet. Confitetur enim de ſe, neſcire ſe quid oret ut oportet. Magnum ergo jota, magnus apex deerat ſcientiæ ſuæ, quando in tertium cœlum raptus, non illam plenitudinem habuit, ut ſciret quid orare oportebat. Et quamdiu hoc neſcivit, non potuit orare ut oportebat. Unde & infelicem ſeſe exclamabat, dicens: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quando liberari & libertatem poſtulat, adhuc ſervitutem corruptionis & mortis ingemiſcit, vanitati ſubjectus non volens, utpote quem veritas hujus ſcientiæ nondum liberavit. Servus ergo adhuc erat reus in legem perfectæ libertatis. In Canticis ſponſus non jam deſponſatam per ſponſalia de futuro, ſed veris de præſenti ſponſalibus ſponſam ſuam, qui mentiri non poteſt, & cui ſponſæ diſcredere non licet, veris de præſenti laudum titulis totiens ornat, pulchram prædicans, & inquiens: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra columba mea, formoſa mea, ſurge, propera, veni. Surge, propera amica mea, ſponſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam: ſonat enim vox tua dulcis in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quæ facies hæc decora, ut nec apex, nec jota deſit, niſi interioris hominis amantis?

De imperfectione S. Pauli, etiã poſt raptum in tertium cœlum.

Laudes ſponſæ in Canticis, quibus à ſponſo laudatur.

I.

II.

Et

Et quæ vox ejus dulcis, nisi Canticum veri & puri amoris? Canticum dico Canticorum canentis: quod si non verum, non purum & merum fuerit, falso Canticum Canticorum dicit. Item prædicatur à solido laudatore & amatore suo ascendere per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii. Quartò dicit eam esse montem myrrhæ, & collem thuris. Iterum exclamans, quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Quintò, tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Sextò dicit, odorem unguentorum ejus transcendere super omnia aromata. Septimò, labia ejus esse favum destillantem. Octavò, odorem vestimentorum ejus velut odorem thuris & incensi suavissimi. Nonò, pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Decimò, una columba mea, perfecta mea, una matri suæ electa genitrici suæ. Undecimò, gressus ejus in calciamentis filiæ principis. Duodecimò, quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delitiis, cujus illic odorem per singula recensens, laudatur à capite usq; ad pedes.

III.

An Apostoli & martyres à corpore soluti, mox coronati sint.

Hæc sponsi de sponsa præconia à præceptis sponsi præcipientis quotidie orare, dimitti debita nostra. Debitores ergo hic Petrus, Paulus, Johannes, Jacobus frater Domini. Petrus non recto pede incedens ad veritatem Evangelii. Paulus etiam cum omnibus primitias spiritus assecutis, adhuc vanitati non volens, subjectus. Et Johannes discipulus quem diligebat Jesus, pro se & Apostolis omnibus confitetur: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, & veritas in nobis non est. Et Jacobus: In multis offendimus omnes. Nullus igitur his laudibus Canticis Canticorum à sponso cumulatus est. Cumulandus autem quandoq; tamen fuerit, sicut hic sponsa prædicatur. Alibi ergo nitorem hunc candorem & decorem sponsa assecuta est. Est igitur non sola hæc in corpore vita tota via no-

De imperfectione Apostolorum ad introitum regni.

ſtra. Manifeſtè enim ſponſa non de patria fuit, quando ipſa conqueritur: Quæſivi eum, & non inveni, vocavi, & non reſpondit mihi. Quoniam illic beata ſponſa erit, ubi nemo conqueritur de non viſo, de non invento. Nemo conqueritur, quis mihi det te fratrem, ut inveniam te foris, & deoſculer te. Illic enim beatæ nuptiæ ſunt, oſculo oris ad os, non tam complexu, quàm beata unione ſpiritus unus. In via igitur erat poſt hanc vitam. Primò quidem purganda à fœno, ſtipula, & ligno, per ardentem & exurentem ignem charitatis. Poſtea pura charitate flagrat, donec ad veras illas laudes perfectæ ſponſæ ex ore veriſſimi & ſapientiſſimi ſponſi cumulata, & adhuc arbitrio ſponſi non inventi, non reſpondentis, perfectus amor ejus in fratrem primogenitum, perfecta charitas in Deum loco & manſione in domo patris digna haberetur. Non ergo Petrus, Paulus, Johannes, Jacobus, mox poſt hanc vitam his laudibus digni inventi ſunt, neq; protomartyr Stephanus, neq; laureatus ille Laurentius, neque inclytus ille victor Vincentius mox illa deſiderata & beata corona poſt mortem coronati ſunt. Sed licet in ortu luciferi confirmati, ut retrocedere non poſſent, ſed procedere tantùm, & in anteriora extendi, ut ad has ſponſæ laudes creſcerent, pretioſa in conſpectu Domini morte evocati ſunt: & quo evocati, niſi ubi pollicitum latroni comitem fore ſponſæ, ubi Adam & Eva purgandi, augendi, decorandi, donec perfectæ ſponſæ fierent ſub magno amoris magiſtro, ſub magno perfectarum nuptiarum ſponſo acceptante? Paradiſus enim medius eſt inter debitores & comprehenſores. In via igitur eſt, quoniam non eſt ab extremo ad extremum, niſi per medium & mediatorem. His meis jaculis & argumentis acceptis, tu me diſputationibus rogo ſanes. Quia revera velut unctio mihi tua diſputatio. Age, vive, Vale.

An martyres mox poſt mortem coronati ſunt.

Paradiſus locus purgatorius.

Tuus Weſſelus.

DE

DE STATU ANIMARUM, ET QUID SIT AMARE JESUM.

1. Mortui in Domino, mortui sunt pretiosa morte in conspectu ejus.

2. Mortui in Domino, pretiosiores in conspectu Domini, quàm Adam & Eva in originali justitia.

3. Mortuorum in Domino perfectior charitas paradiso dignior, quàm originalis justitia.

4. Mortuorum in Domino confirmata charitas non commovebitur prosperis vel adversis.

5. Mortui in Domino purgantur partes imaginis, quia temporibus Apostolorum baptizabant pro mortuis.

6. Mortuorũ in Domino non mox omnium charitas perfecta.

7. Imperfecta charitas non constituit perfectè cor mundum.

8. Quamdiu non est perfecta cordis munditia, non videbunt Deum.

9. Semita justorum lux splendens, & crescens usque in perfectum diem.

10. Splendente luce, crescente luce, dico sapientiæ, gloriæ & amoris, id mortuis in Domino purgari est.

11. Lux hæc splendens eadem quæ sapientiæ magister Dominus Iesus.

12. Huic loco conformari huic exemplari per omnia similem fieri, purgari est.

Amor in Dominum Jesum, propter salutem nostram, propter justificationem nostram, propter beatitudinem nostram, nisi valdè purgatus fuerit, amor concupiscentiæ est, & pannus menstruatæ, sicut famelicus lupus amat agnũ. Oportebit enim sic amare, ut nihil nostrum quæramus, nisi propter Deum. Et huic legi confirmari & accedere, purgari est.

Amor concupiscentiæ, erga Deum immundus.

Mortui in gratia meliore conditione gratiæ ſunt, quàm Adam in paradiſo: quia confirmati in gratia, ergo cum perfecta ſapientia, gloria & charitate, quòd nulla creatura poteſt eos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ergo nullam creaturam ſeparantem timent: perfectè igitur cum charitate Dei in Chriſto colligati ſunt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & gloriæ & charitatis nobis interim abſconditi, non illis, qui in Domino mortui ſunt. Multum beati, qui theſauros illos Dei vident creatoris in Chriſto Jeſu, quamvis Deum ipſum non videant, certi quòd aliquando videbunt.

Quid ſit amare Ieſum.

Qui non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, anathema eſt. Sed quid eſt amare? niſi in mandatis ejus velle nimis, nimis velle quod ille vult, & quia ille vult. Amavit Jacob Rachel, & pro amoris magnitudine ſeptem anni laborioſæ ſervitutis videbantur ei dies pauci. Quid amare? niſi cor ſignatum ſigillo cordis Jeſu, ut nihil cogitare poſſit, niſi de illo, juxta illud: Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut nihil velit, niſi quod ille: & omne quod ille & ſolum propterea, à quo cor Jeſu ſit ei ſigillum, regula, cauſa, cardo, fructus, menſura & ſigillum immobile.

Amor mandatum non expectat.

Amor non expectat mandatum. Non enim amat, qui mandatum expectat, qui ex mandato operatur. Difficilius Magdalenæ fuiſſet otium quàm obſequium, difficilius non ſequi, non compati, quàm tollere crucem, quàm ſimul crucifigi. Patet hoc de Gallo in Licorim, &c. quod indignus amor Galli, quo Virgilius in Ecloga magnũ exemplum ſit digni amoris debiti.

Vita in amore.

Non eſt vita, niſi in amore: nec vita ſancta, niſi in ſancto amore: oportet ergo amare fratrem primogenitum, & per fratrem primogenitum reduci ad amorem patris, quem niſi mundo corde amemus, non videbimus faciem ejus. Si non amat, anathema eſt, ergo ut non ſit anathema, oportet ut amet. Evidenter

denter Johannes arguit viam & charitatem Dei per amorem fraternitatis, quando inquit: Qui fratrem ſuum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Hæc argumentatio non potenter convincit, niſi de fratre viſo explicetur. Igitur ſi recipiatur frater ille primogenitus in multis fratribus primogenitus omnium filiorum Dei, Rex & Sacerdos, & hoſtia, victimæ, primitiæ, decimæ, pacificum ſacrificium, holocauſtum, incenſum, ſponſus, amator, veniens, pulſans, apparens, non receptus, non dilectus, non amatus, quanquam talis à Deo & ad tanta donatus, quomodo Deum, quem non videt, poteſt diligere? Sic enim evidenter cogit argumentatio. Et quantò clarior veritas, tantò charior & amplectenda charitas.

De amore fraternitatis.

Fraternitas amorem oportet habere. Amorem dico, qualis ac quantus debet eſſe in talem tantum fratrem primogenitum, & propter fratrem primogenitum tantus, ut pro fratribus ejus animam ponamus. Imò tantus amor ſalutis & ſalvatoris, ut omnem amorem noſtri, amor Jeſu extinguat, antè non ſalvat populum à peccatis.

Pauci homines ſciunt amorem verum, etiam humanum: quia niſi per internam experientiam amoris, amor non cognoſcitur, &c.

Nullus hominum ſcit amorẽ dignum primogeniti fratris.

Qui noſceret illius amoris dignitatẽ, ſemper oraret, quomodo oporteret, uſq; dum dignè amaret.

Apoſtolus neſcivit quid oraret, quomodo oportebat.

Nunquid abſque purgatione hujus ignorantiæ Apoſtolus intravit?

Nunquid abſq; digno amore intravit?

Nunquid oportuit ab indignitate illa amoris purgari?

De purgatorio.

Et per quem purgantem, niſi per amantem, & amoris magiſtrum, & primum fraterni amoris exemplum.

De loco & tempore purgationis.

Et quanto tempore purgantem? certè quanto volet magister amoris.

Et ubi, nisi congruentissimo loco purgandi amoris?

Et quis congruentissimus locus? Non cœlum, quo nihil intrabit indignum, aut infirmum & vanum, non carcer captivorum, amor enim libertate fovetur & crescit.

Paradisus locus purgationis.

Congruentissimus igitur locus purgationi huic paradisus originali justitiæ datus à principio, promissus latroni, qui citò pretiosa morte mortuus in Domino, confirmatus in æternum, non commovendus retrorsum ad malum, multò jam purgatior quàm Adam & Eva, non confirmati in amore fraternitatis & charitate Dei: quoniam per amorem fraternitatis purgatum via est in charitatem. Juxta illud: Qui fratrem suum quem videt, non diligit, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?

Oportet igitur sub magistro magno & primo amoris viso institui ad perfectum amorem: deinde in charitatem non visi Dei. Unde videntes Jesum in paradiso, & omnes thesauros sapientiæ, gloriæ & charitatis in eo absconditos nobis, adhuc verè in via sunt, licet verè magnam & felicem vitam vivant: quia videntes fratrem primogenitum omnis creaturæ, beatissimam creaturam adhuc tantum vident, quamdiu charitas in Deum perfecta non fuerit. Manifestè enim Johannes fratrem visum, à Deo non viso secernit. Non potest solvi Scriptura sacra: tota enim Scriptura sacra una copulativa necessaria, quia falsa esse non potest, minima contingens cathegorica in ea. Imò oportet impleri omnia legis, ut nec apex, nec jota desit, &c.

EPI-

EPISTOLA EJUSDEM DE STUDIO ET PIETATE quærendæ veritatis: de fructu honestæ contentionis in palæstra veritatis. Wesselus fratri Iohanni Amsteredam. salutem in finem.

CRebriùs intra me memor, quomodo responsionem meam ad eam tuam dubitationē, de immediato trāsitu pro Christo morientium, puta Stephani, Laurentii, acceperis, non parum desideravi rescire mentem tuam, dulcissime mi Johannes. Desiderio enim desidero in palæstra veritatis apud intelligentes confligere, non solùm vincere, sed & proficere & crescere desiderans. Quoniam veritatis cōflictus is est, quo vel vincens, vel victus utrobiq; proficio in libertatem filiorum Dei. Promissum enim veritati, quod stantes in ea liberabit. Quoniam hæc est contentio, qua Dominus Jesus præcepit contendere, ut intremus. Rogo igitur contendamus, uti cœpimus, quærere veritatem, neq; meis responsionibus ita acquiescas volo, ut à motibus animi tui nondum satisfactus requiescas. Sed quicquid movet opportunus, importunus insta & rescribe: neque tu solus, sed & omnes qui tecum sunt, instent: quoniam ea mihi fiducia est, quòd qui ad veritatem quęrendam, sive duo, sive tres, congregati sunt, ipsa via, ipsa veritas, ipsa vita, in medio congregatorum erit. Et quomodo in hoc loco caliginoso congregatiores esse possumus ad veritatem inquirendam, quàm pia veritatis inquisitione & contentione? Promisit Sacellanus in Adwert, si loco pariter cum eo essem, sola contentione me sanaret, supplico, si sanatum velitis, vos de monte Agnetis crebro mecum contendite, neque desistatis, nisi vel victores, vel victi, veritatis confessionem omnia lavantem extorqueatis. Quare etiam pro ulteriori seminario fructuosæ nostræ contentionis, principium contentionis adortæ cum Sacellano pro necessaria viato-

De conflictu veritatis.

Nota.

viatoribus perfectione per Henricum nostrum tibi ruminandum transmitto. Morde, mande, gusta, proba & reproba. Age, vive, vale.

EPISTOLA EJUSDEM D. WESSELI GRONING. ad D. Iacobum Hoëck Theologum, de studio & pietate inquirendæ veritatis, sine pertinacia voluntatis.

EX prima conferentia simul & bono inter bonos nomine tuo non parum gavisus, gratulor sincerum veritatis cultorem invenisse, præsertim tam dignanter spondentem, semper velle scribenti mihi rescribere: Gaudebam hoc accepto promisso, velut antiquæ palæstræ meæ comperto Gymnasio. Non quòd me ut olim vanæ verborum contentiones delectent, sed quia jam commutato sanius consilio, vel mihi, vel proximo proficere sperem. Accepi ex ore tuo nonnullis meis doctrinis te scandalizatum, & ea re permotum, scripsisse desuper Coloniam. Neq; reprehendo, commodiùs tamen, & ad normam Evangelicæ rectitudinis viciniùs puto, ut me peccantem in te fratrem tuum, primò inter te & me corripuisses, & sic non audienti, duos vel tres fide & autoritate præstantes testes adhibuisses, & sic demum non audientem denunciasses. Verùm quia neq; tu personam ex nomine denunciasti, adhuc huic Evangelicæ normæ locus salvus superest. Tuam, egregie amice noster, integram, & multis nominibus claram sinceritatem rogo & requiro, per eam etiam quam modò requirenti mihi fidem de semper scribenti rescribendo dedisti, & ultrò spopondisti, obsecro, rescribe, si quid ex meis dictis usquam te offendit. Fateor, in multis assertionibus meis & crebrò singularis invenior: & valdè mihi de singularitate suspectus, non parum errare formido. Sed quia rationes ad eas conclusiones me moventes,

Verborum contentiones non amplius delectabant.

Petit rescribi in quo offenderit.

ventes, ut mihi videtur, ex fide & ſacra pagina ortum habent, parturio intra me, & nonnunquam etiam foràs prorumpo, ſperans per te, vel tui ſimiles, & me ſapientiores viros, argui & corrigi. Nec ignoras quid ſit arguere & corrigere: quoniam efficaci & aperto argumento ad veritatem reducere. Tu igitur fratrem tuum lucraberis, ſi me de meo peccato ſcandalizantē doceas. Nunquam pertinax fui, etiam in certaminibus vanitatis. Magis autem nunc erubeſcendum puto, apertam veritatem inficiari. Circumivi multas univerſitates, & certamina quærens, multos reperi contradictores, aliquando etiam de fide ſcandalizatos, verùm nunquam in ſcandalis dimiſſos: quia rationibus meis auditis, & perſpicaciter conſideratis, vel conſentientes, vel ſaltem non irrationabiles confitentes, quietos reddidi: ut nemo finaliter de me conquereretur.

Quid ſit arguere & corrigere.

Petit doceri.

EPISTOLA VENERABILIS D. WESSELI GRONINGENSIS, S. Theologiæ Profeſſoris, ad M. Engelbertum Leydenſem.

QUam tibi quantamq; ſalutem percupiam tuæ puto charitatis non ignarus facilè noſti. Fateor, junior olim, juniori aliquot epiſtolas miſiſti, non juveniles tamen, ſed gravitatis plenas & viro dignas, ut non de multitudine queri oporteat. Et nunc adeò charitas tua fervet & æſtuat, ut omittere nequeas, quin vel paululum ſcribas, ut bonam videaris mei memoriam retentaſſe. Satis credo non potuiſſe omittere, quin eatenus & uſq; pius ille tuus pro Eccleſia Dei zelus efferbuit, ut etiam ſequentibus & copioſis titulis operias me illum valdè ſapientem, altiora me quærentem, fortiora me ſcrutantem, de numero eorum quos ambitio ſupplantat. Me valdè ſapientem mihi, multumq; ſapere viſum mihi, ac per hoc ſtulto homini placentem, velut oculum univerſa præter me videntem, & mei

plus æquo amatorem, ac propterea meum in me, ac de me perversum judicium. His atq; hujusmodi, quàm bonam mei memoriam retentes, verè dilucideq; exprimis, neq; prioribus annis dilucidare cessasti. Et verè grates debeo tibi atq; multitudini, quòd mecum sentis, & mihi meam de me opinionem confirmas. Quia verè, sicut subdis, incomparabiliter multò plura sunt, de quibus (ut verbis tuis utar) nullam prorsus retineo notionem. Unde valdè prudenter cavendum mones, ne quibuslibet sapientibus velim sapientior æstimari, quia non iniquè si id velim, sapientum judicio, fortassis insipiens reputabor. Et non parvas in his tuis monitionibus gratias tibi habeo & debeo, quòd meas tantoperè vices doles. Sed & plurimum gavisus legi, quod subdis de litera mea, quam venerabilissimo Magistro nostro, Dn. Decano de Naëldwick, Jacobo Hoëck ante annos amplius quatuor misi. Et quoniam nullo rescripto dignatus est interim respondere, verebar non perlatam. Nunc autem nihil ambigo de non perlata. Sed quomodo acceperit, suspensus expecto. Tamen utcunq; gratulor quod accepit. Et qui tibi legendas communicavit, me, supplico, non judicet responso indignum, & liberè judicet, quoniam non parum ex magno apud magnos viri nomine pendeo. Et si scribere dignetur, ex hac nunc mea rescribentis tibi pollicitatione vinctum, ligatum teneat, semper scribenti illi rescripturum. Neq; me putet vanè nunc illi promittere, sicut ille olim mihi, quando hæc ejus verba: Quòd si has non dedigneris, tuaq; responsione dignas judices, nõ cessabo post hac sæpiùs te meis scriptis visitare. Quartus jam annus evolutus est, quo non solùm rescripto dignas judicavi, sed & quotannis rescripsi, & etiam anno in annum expectans, & reexpectans, nullo rescripto consolatus sum, nisi tandem tenui hoc tuo, quo saltem conjectare conceditur quod accepit. Et revera gratias habeo tuis etiam improperiis, quia licet

licet nullatenus illum tecum sentire putem : de indulgentiis tamen ut omni quaq; mecum sentiat, vix credo. Multæ enim sunt causæ viro gravi atq; prudenti, ut nolit inter vulgaria ingenia suam opinionem publicare. Quare etiam anno priore tuas de illo sententias, nominalem illum doctrinam detestari, minus annui. Non enim facilè fieri potest, ut ex via realium vir talis emicuerit.

S. Petrus & alii Apostoli, nec horum indulgentiarum dare potuerunt.

Hinc jam ad invectivas tuas accingar. Ægrè fers S. Petrum, & omnes post eum Pontifices, ne unam quidem indulgentiarum horam concedere potuisse donare. Hæc adeò fers iniquo animo ut impatiens exclames: Quis adeò cœcus, & sacræ ignarus Theologiæ ac Pontificii juris nescius, ut Papam atq; Antistites, autoritate Christi, nullam cuiq; posse conferre indulgentiam arbitretur? Miror ego hic te virum literis & eloquentiæ studiosum à puero, non acutiùs tua verba ponderantem. Quid enim est autoritate Christi dare, si non volente Christo, dat? Igitur si sic autoritate Christi volentis ac taxantis dat, quæso ubi stabilies hanc determinatā Christi voluntatem, ut nunc unum atq; idem opus indulgentiale sex annos valeat, nunc septem, nunc septingentos, nunc septem millia, nunc plenariam remissionem? Num alicubi fundabitur, ut quanti Papa bonum opus æstimaverit, perinde quasi Christus æstimaverit? Verum est Petrus & omnes Apostoli habuerunt in terris potestatē ligandi & absolvendi, sed hoc ministerio, nō imperio, poterant ministrare verba Evangelii, & credentibus mysteria gratiæ, sacramenta charismatum, præcepta salutis, quæ quicunq; piè recipiebant, verè solvebantur à vinculis diabolicæ captivitatis. Non autem credo fuisse in arbitrio Petri, quos vellet à vinculo Sathanæ dissolvere, aut illo ligare. Quemadmodum unus tantùm qui baptizat in Spiritu sancto, sic unus tantùm qui ligat & solvit: ligat, inquam, & solvit imperio. Quo enim imperio Papa solve-

Nota de potestate ligandi & solvendi.

 ret,

ret, qui nescit solutus, utrum solutus sit à vinculo Sathanæ, an non? Quomodo judicare potest, quod cognoscere non potest? Infero enim sic: Vincula illa non cognoscit, igitur non dijudicat: si non dijudicat, non discernit: quod si non discernit, quomodo absolvit?

De remissione culpæ & pœnæ.

Et magis pudenda tergiversatio illa, qua cùm à principio sancti doctores confitentur solum Deum peccata remittere, confugiant ad pœnas, quoniam mitior illic mentiendi locus conferatur. Cùm tamen Theologica regula sit: Nihil debere fideles asserere, quod non in regula fidei continetur. Isti autem tergiversatores utrobiq; obluctantur. Dominus Jesus expresse de culpis dixit: Quorum remiseritis paccata, remittuntur eis. Et id quomodo intelligendum sit, post Augustinum, non audent secus, ac debent, interpretari. De pœnis Dominus Jesus nihil dixit, neq; ullum locum S. Scripturæ dabunt, ubi pœnarum pro peccatis præteritis, & prorsus dimissis debitarum judicium, in Papæ arbitrium referre possint. Fateor quorum Apostoli peccata remiserunt, in veritate fuisse illorum peccata remissa. Sed multæ sunt species tropicarum locutionum. Hæc tropica locutio. Ego autem non tropo, sed proprio sermone certo atq; contendo. Verè enim qui ab Apostolis Evangelii veritatem audierunt ac ceperunt, crediderunt corde & ore confessi sacramenta susceperunt, & monitis paruerunt Apostolicis, horum Apostoli ministerio non imperio peccata quodammodo remiserunt, quia Deo foris cooperatores fuerunt, & verè remissa fuerunt eis, quia nisi verè divinitùs remissa fuissent, neq; Apostoli dicerentur aliquo modo remisisse.

Regula Theologica.

De pœnis remittendis nihil in S. Scriptura.

Quando Ecclesia divino spiritu regatur.

Subdis, & non sine grandi pondere verbi, sanctam Ecclesiam divino spiritu gubernari. Omnifariam verum est, nunquā in his quibus sancta est, & in quibus suam salutem operatur. In quibus autem ignorat & errat, sicut proh dolor in multis valdè plangi-

plangimus errantem, præsertim in sale infatuato, in villico diffamato, quòd bona Domini sui dissipet, in servo imprudente & infideli dispensatore constituto super familiam Domini dare illis mensuram tritici, percutiente servos & ancillas. In hujusmodi zizania, in talibus propter peccata populi regnare suscitatis, non grande inconveniens, & per tales aliquos in Ecclesia seminari errores, qualesque non mercenarios pro pastoribus, non lupos pro mercenariis, verùm pro lupis Dabolos, Bernhardus Clarevallensis in sermone ad Synodum generalem Remensem præsente Papa definit: quales item, proh dolor, per corruptissimos illos indulgentiarios, hodie pro falsariis condemnatos, disseminabantur. Neq; errorem hunc illorum falsitati solum tribuamus. Olim Sixtus illum scivit, quando apud legatum Ludovici regis Franciæ, medio juramento corporaliter manibus præcordia tegens, purgavit in verbo Pontificis non sese scire. Sed quid valuit purgatio illa scienti, quando postea cùm sciret, nihilominus dissimulavit & toleravit? Et non solùm in Francia duravit, sed & circumivit usq; dum in Hollandiam commigraret. Hæc atq; omnia hujusmodi falsa credo, tu sustinenda, credenda, fovenda definies, ne quo sanctam Ecclesiam, à Spiritu sancto rectam, errare blasphemes. Hæc tua sapientia est, ut sic omnem errorem corruptorum prælatorum rectifices & faveas, pro impossibili habens avaros Pontifices turpi quæstu turpiter aliquid facere, & id præsertim temporibus periculosis.

Nota factum Sixti Papæ.

De prælatis vitiosis tolerandis & arguendis.

Potest Papa perfectè contritis & confessis plenariam remissionem facere, sicut & fidelem catechuminum in Spiritu sancto baptizare, ministerio, inquam, tantum, non imperio, ut ita sit, quia ipse sic velit magis quàm alius quisq; legitimus minister, & id ordine, non autoritate.

An Papa plenariam possit dare remissionem.

Verè autem confessis & contritis, nisi perfectè confessi & contriti fuerint, neq; Deus plenariam dat remissionem, sed veram

Verè confessi & contriti parvuli adhuc sunt in Christo.

ram tantùm remiſſionem, quia licet verè vivant in ſpiritu, parvuli tamen in Chriſto multis adhuc purgationibus, incrementis & perfectionibus opus habent, quo perfectam inveniant remiſſionem. Quia non datur venia, niſi contrito, & omni correcto datur venia, quantum correcto, & quanta eſt correctio, tanta eſt venia. Multa peccata dimittuntur multum amanti, ſed non perfectè dimittuntur, niſi perfectè diligenti. Plenaria enim remiſſio, & perfecta remiſſio idem ſunt.

Plenaria remiſſio non datur, niſi perfectè diligenti.

Perfectus autem in hac vita, ita ut ſine peccato ſit, nemo eſt. Nulli igitur in hac vita plenaria conceditur remiſſio, quia nulli perfecta contingit remiſſio, niſi cui Chriſtus viſibiliter abſens, præſens per fidem locum parat in domo patris ſui, & perfectum locum perfectè parat. Jeſus abiit ſenſibili viſione. Jeſus manet ſpirituali manſione, quia per fidem habitat in cordibus noſtris. Sed hujus loci preparationem in domo patris Papa non cognoſcit, non ergo præcipere de recipiendo in locum paratum poteſt. Imò Papa ipſe, qui ſui cordis intima meliùs omni homine novit, de ſeipſo neſcit quanto ſuus locus in illa domo patris paratus ſit, aut non paratus. Neſcit quid orandum ſicut oportet, quamdiu non eſt in ſapientia Dei perfectus. Sed gradualiter proficiens, gradualiter diſcit, quid & quomodo oporteat orandum.

De poteſtate Papæ.

Dedi ego venerabili Magiſtro noſtro pauculos ante annos aliquot propoſitiones, in quibus putabam ſatis nudatam aſſertionem meam, quas ſi non accepit, aut ſi non ei placent, ſolùm reſciam, & morem geram.

De propoſitionibus tranſmiſſis.

Ego valdè titubanter dictum puto, ut alicui peccata remiſſa ſint, & adhuc nuda in conſpectu Dei. Quomodo enim tecta quæ adhuc imputantur ad pœnam? quomodo verùm non imputari, quando puniuntur? Dominus fortè dimiſit, ut Papa retineret ad pœnam? Sed hæ tibi nullæ videntur eſſe rationes, aut,

aut,ut voto tuo concludam,potiores Evangelii & Ecclesiæ autoritatibus arbitrabor,quare vel nullæ sint hæ rationes, vel illis potiores. Valdè mihi videris vir bone præcipitare sententiam, quæ tam facilè utrobiq; refellitur. Parciùs itaq; atq; circumspectiùs de cætero decernito. Et in his meis ad te si quid offendat, unà cum venerabili Magistro nostro collatum,fideliter ex illius mandato rescribito. Omnis operæ meæ pretium erit mihi qualitercunq; dulcissimi viri illius rescripta meruisse. Crebra mihi in manibus & oculis unica illa,quam semel misit Epistola. Feliciter opto vivat & valeat, & unà tu ab olim dilecte, mi pater ac domine colendissime. Ipso Pancratii, quo tuas 11. Calend. Maji emissas,accepi.

JACOBUS ANGULARIS DECANUS NAELDWICENSIS, D. Wesselo S.

NOn minus (mihi crede) dignissime Wessele, ego ad te scribere, quàm tu meas recipere literas, jamdudum desideravi, sed aut nuncium non habui, aut adeò fui necessariò, & quidem sæpiùs secularium rerum tumultibus occupatus, quòd ne minimū quidem tempusculum, quo tuis scriptis intenderem, aut contemplationi vacare possem, habuerim. Et revera me mea in laqueos hos, qua nihilum petentibus negare scio, dejicit cordialitas. Verùm nunc bonam mearum nactus literarum bajulum, ex somno tantum mihi temporis surripui, quod nostram tibi de te tuisq; propositionibus mentem transscripsi, & quidem incultè atq; confusè. Inprimis itaq; te scire cupio, me nullatenus in te deceptum esse, quippe quem majorem experientia, & tuorum scriptorū lectitatione, postea cognovi, quàm ante plurimorum & quidem magnorum relatu audiveram. At unum duntaxat ex literis tuis colligo, quod virum grandem (mea opinione) vehementer dedecet. Id est, quod dura te jactas cervice,

Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

E scriptis optimè quis cognoscitur.

cervice, qua cunctis in dictis tuis quandam niteris inveniri ſingularitatem, adeò, ut plurimorum judicio, Magiſter contradictionis meritò valeas appellari. Et (ne dubites) tua doctiſſimi viri ſingularitas pleroſq; ſcandalizat. Fateor ingenuè alterius me eſſe contradictionis, qui non niſi ob maximas cauſas à communibus veterum Patrum ſoleo recedere limitibus, eoſq; defendere magis quàm impugnare. Meminiſti (haud dubito) hujuſce opinionis grandem illum virum noſtrum Buridanum in Ethicorum ſuo procemio extitiſſe, quando dicit, ſeſe modernorum adinventionibus crebriùs, traditionibus verò antiquorũ nunquam, deceptum fuiſſe.

Vr[illegible]eſſe [illegible]us magiſt[illegible]r con[illegible]adictionu vulgo dictus.

In materia indulgentiarum non poſſum à te non diſſentire, neq; te rationibus oppugnare intendo. Quænám enim ſpes quæſo mihi eſſe poteſt, durum illud atque inepugnabile tuum atq; imperterritum caput rationibus expugnare, quod neq; malleo communis credulitatis omnium, neq; autoritatis antiquorum Patrum gladio valet emoliri? Meam duntaxat opinionem atq; judicium pauciſſimis explicabo. Verum eſt de indulgentiis nihil expreſsè ex S. Scriptura haberi, nihil de ipſis veteres ſcripſiſſe doctores, quanqua Gregorius dicatur (quod nuſquam tamen legi) ſeptennes Romanis in ſtationibus indulgentias collocaſſe. Ex hoc tamen non audeo (quemadmodum nec debeo) illam tecum ſententiam effundere, ut prælatos hoc facientes obſervanteſq; errare credam. Et revera (ut nihil te celem) horrore attonitus inauditæ veritatis primitus ſcribere deſtiti, quamvis ſemper ſperaverim te illud potiùs conferentiæ & indagandæ veritatis gratia, quàm aſſertivè pronunciaſſe. Non enim te ad illud aſſeverandum movere debet, quia in S. Scriptura & evidentibus Apoſtolorum traditionibus de ipſis haberi nihilum. Cùm pleraq; dignoſcas, quæ non minus ſub pœna ignis credere oportet illis, quæ in prædicta fidei regula continentur.

Nihil de indulgentiis in ſacra Scriptura, nihil veteres dixère doctores.

O mirum hominem, qui veritatis ſono terretur.

nentur. Multa enim, dicit Evangelista, fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hujusmodi autē est (ut de cæteris taceam) quòd Petrus fuerit Romæ: credere te non ambigo confessionem sacramentalem de necessitate existere salutis, ad bonum sensum, nescio tamē, an benè scires in regula fidei stabilire. Scio doctores ad hoc complures conatos fuisse, sed an ritè (ita quod duram cervicem convincere possint) fundaverunt, tibi magis judicandum relinquo. Ego præter Scotum mihi utrumq; in hoc placentem, vidi neminem: quanquam non admodum mihi displiceat dicere (ut aliqui volunt) illam obligationem non esse scriptam in libro Evangeliorum; sed eam Apostolos à Christo audivisse, & ab Apostolis ad nos usq; pervenisse autoritate Ecclesiæ, ex qua quantum pendere debes ipse videto. Istud idem de nostris nonnulli volunt de indulgentiis etiam asserere. Vides quorsum ista tendunt. Ipse siquidem in hoc tanquam in nostræ conscientiæ basi & fundamento, tibi etiam ex corde repugno, firmiter credens, asserensq; Papam posse nedum unam horam indulgentiarum, sed & plures annos, imò & plenariam decernere indulgentiam. Neq; tamen credas me adeò desipere cum plerisq;, ut consentiam, firmum fore quicquid Papa in talibus statuerit, etiam si deliret statuendo: hoc tantùm firmum esse, quod in hujusmodi statuerit, clave non errante, & Christo non reprobante. In mentem venit dictum venerandæ circumspectionis & maximæ scientiæ viri (quem tu meliùs, ut credo, Parisiis Decanum nostræ dominæ novisti) Magistri nostri Thomæ de Cursellis. Quibusdam enim in Basiliensi Concilio Papæ potestatē plus debito extendentibus, fertur dixisse, sibi à Christo dictum, quicquid ligaveris super terram, erit ligatum. Non autem quicquid dixeris esse ligatum. Dices fortassis, non sufficit dicere, nisi dicti rationem subjunxeris. Revera, charissime Wessele, pro magna tibi ratione, imò magis quàm ratio debet

Hoc modo liceret quodlibet asserere.

Subjacet ideò omnibus factū Papæ examinandum.

esse Papæ nedum, sed & omnium tam prælatorum quàm doctorum autoritas, qui omnes indulgentias aut largiuntur, aut largiendas esse scribunt, docentq;. Recordare Augustinum dixisse: Evangelio non crederem, nisi me autoritas Ecclesiæ compelleret. Nónne etiam in corpore juris per Ecclesiam approbati pleraq; de indulgentiis capitula loquuntur? Nónne venerabilis Gerson ad idem esse videtur, dicens: Indulgentiarum concessionem non esse parvipendendam, sed devotè in fide, spe & charitate Christi, qui talem dedit hominibus potestatem, amplectendam? Constat ejus, ut ejus verba prosequar, quòd fructuosior sit & acceptabilior cæteris paribus talibus innitens operatio, quàm alia eisdem non innitens. Consilium est igitur (subdit ipse) solidum & sanum, ut absq; curiosa discussione, de præciso & certo earum valore, studeat homo pius tales acquirere. Idem ipse in principio ejus quod de indulgentiis fecit opusculi (in cujus circa finem prædicta habentur verba) videtur in sacro velle Evangelio hujusmodi Pontificum fundare ac stabilire potestatem. Allegato namq; illo *Matth. 18.* Quæcunq; alligaveritis, &c. cum nonnullis aliis sacri Evangelii passibus ait, fundatur deniq; super præmissis potestas omnis, indulgentias conferendi. Iste siquidem noster doctor cùm sentiat (& quidem benè opinione mea) nullum purum hominem, imò neq; totam Ecclesiam posse quippiam ad peccatum mortale obligare. Videtur contra tuam æstimationem vel istud Christi dictum: Quodcunq; ligaveris super terram, non de peccatis, sed de pœnis intelligi. Cum his ego ita esse & prædico & doceo. In ea itaq; re quo ad palum nostri certaminis meum nunc percepisti judicium, & quidem pro personę qualitate meritò floccipendendum. Mea namq; de indulgentiis sententia est ista: In confessione sacramenti, quæ nonnunquam de attrito facit contritum, in temporalem mortali crimini debita perpetua pœna commuta-

Sed nihil ad bacchum.

O miserum seculum, quo qui definiunt, explicare volentes

mutatur. Hanc temporalem pœnam quo ad usq; per sacerdotem fuerit taxata & injuncta, de foro Dei æstimo, & non Papæ, cùm verè fuerit injuncta, & virtute clavium ad eam pœnitens obligatus, jam eam de foro Ecclesiæ judico. Super hanc Ecclesiam habens potestatem, non quòd ejus arbitrium sit apud Papam, ut quicquid in talibus Papa decreverit, ideò in foro divino sic subsistat, quia de illis Papa sic voluit, neq; quòd Papa possit illam pro libito suæ voluntatis remittere, sed quia pro illo possit de thesauro Ecclesiæ satisfacere, meritaque sanctorum, & præcipuè passionis Christi in locum illarum pœnarum ordinare. Neq; hujus assertionis meæ oppositum, quas mihi tradidit Præceptor meus Engelbertus Leidensis, tuę ostendunt propositiones, in quibus longè aliter quàm communes Ecclesiæ doctores, thesauri participationisq; vocabulis uti videris, quo fit, ut eis non ad rem, sed ad vocem duntaxat contradicas. Concedunt omnes tecum, Papam neque posse cuipiam gratiam conferre, neq; si ipsemet aut alius quispiam in gratia sit, judicare, & multò minus præcipere, ut quis sit in gratia. Sed quòd ex his tua intentio possit deduci, fateor me non intueri. Ex his enim solùm inferri potest, Papam neq; indulgentiarum capacem facere, neque talem quempiam certitudinaliter judicare posse. Quod rursum cuncti tecum affirmant, verum tamen omnibus tuis istis præmissis, sive antecedentibus, stat in veritate oppositum consequentis, per te illati, Papam scilicet verè contrito confessoq; ac conditionē implenti, posse indulgentiam modo dicto conferre, etiam, si Papa id exigat, plenariam, quatenus tales carne soluti mox evolent ad regnum. Neq; vereri debes, si Ecclesiam peregrinantium nobiscum ita extollas, te blasphemum in regem, regnum cœlorum offensum ire. Nam sordes quas ne libens quidem videris in pulcherrimum illud regnum velle recipere, magna pro parte ex mole corporis animam gravantis

omnia involvunt. Innumerabiles & inaudita ex hac sententia quæstiones surgunt.

Si nulli gratiā conferre potest, nulli indulgentias dare potest, cùm gratia deletur peccatum.

Si hæc vera: Papa Nerone crudelior est, qui non liberat cum potest, sed mittit in ignes.

vantis perveniunt, carneq; deposita mox abluuntur, cessantq;. Non sunt in ea tunc immundæ cogitationes, non tot insipientiæ, ignaviæ, pigritiæ, sanctorum desideriorum dilationem, quam probè dicis amanti animæ gravissimam afflictionem, rei desideratæ exhibitione Deus ipse tollit. Non est etiam inibi amor aliquis impurus, sed omnia ibi pulchra, omnia perfecta sunt in suo genere. Nihil illic impurum vel imperfectum. Non itaq; ob istas sordes abluendas animam, quæ lucrata est plenariam indulgentiam, in purgatorio necesse est detineri, quò minus statim evolet, dummodò eo in statu moriatur. Purgatorium non à sordibus, sed potiùs à pœnis, quæ ibidem solvuntur, purgandum Theologi nominant. At quanquam quæ dixi possibilia docenda populoq; prædicanda sunt, vix tamen crediderim de centum millibus animam unam quidem, sic statim evolare, cum hoc pro grandi quodam glorioso, soleo de beatissima Dei genitrice prædicare. Fortassis enim, imò sine sorte, credens indulgentiam adipisci, aliquod est crimen, aut per oblivionem, aut per negligentiam non confessus, cujus pœnam, nisi hîc solvat, in purgatorio patietur: insuper quis in momento adeptionis earum ilicò decedit, aut potiùs quis non post adeptas crimina aut committendo, aut omittendo nanciscitur. Omnes quoque (ut satis tuæ videntur innuere propositiones) manent, vel in venialibus, & quotidie offendunt.

Punitorium igitur non purgatorium dicitur.

Miseri homines in pœnis versantur.

Ipsa siquidem manentia peccata nullus asserit esse dimissa, vera tamen manet ista conditionalis, quòd si quis sit verè de omnibus contritus & confessus, impleveritq; opus indulgentiale, illi potest Papa de thesauro Ecclesiæ communicare. Itaq; si sit plenè contritus absque novi peccati perpetratione moriatur, mox evolabit. Talem indulgentiam supremus Papa Christus latroni impartitus est in cruce. Nec ista mirari vir doctus debebis, cùm secundum omnes tanta posset esse contritio, quod

Gratis venundati estis, & absq; argento redimemini.

quod omnem culpam & pœnam deleat, faciatq; absq; aliqua dilatione ad regnum evolare. Adultus etiam quantumcunque fuerit criminosus, & Christo deformis, si mox baptizatus moriatur, statim candidissimus, purissimus, & in Christo perfectè formatus, in regno apparebit. Neq; regnum ut videris formidare sordidum & turbulentum faciet in sua receptione, qui tamen si supervixisset, multo partu opus habuisset, antequam Christus formaretur in eo. Video papirum deficere, eapropter finem facio, hæc ergo prout multiplex diversaq; occupationũ varietas permisit satis improvisè, atq; aliò distractus de te tuisq; propositionibus calami officio designavi, petens ut ipse qui magis es collectus, & ob id beatior, quæ ego confusè nimium more occupatorum, & aliis intentorum scripsi, colligas, & rursus mihi quamprimùm scribas. Tuum siquidem erit ex his quibus convenimus & dissentimus elicere, nosq; in puncto contradictionis ad rem statuere. Uti nostri veritatis doctores (quãquam nominales appellentur) satiùs his qui reales dicuntur efficere solent. Quo facto ad id peccatum quasi ad signum Romanum, & autoritatum telis tecum libens sagittabo. Eo enim pacto fiet, spero, ut veritas tandem in difficillimis facilè inveniatur. Non, Wessele, Deus nobis hæc otia dedit, quæ tibi, sed tamen haud postponam scribere posthac. Quamprimùm semper tua scripta recepero, scribam. Neq; tamen potero posthac tantum occupari, quin uti jam semel iterum atq; tertiò pollicitus sum, indilatè semper tuis scriptis vel parum dictando responsum dabo. Interim, ô dulcissime Magister noster optime, vale. Ex Naëldwick, 9. Calend. Augusti. per verè tuum (ut plenè dignus es) Decanum ibidem.

Nimium improvisè.

EPISTOLA VENERABILIS D. WESSELI GRONINGENSIS responsoria ad M. Iacobum Hoeck, Decanum Naeldwicensem, de Indulgentiis.

SAlute sua medius intersit conferentibus, qui in suo nomine congregatis promisit medius fore. Gratias habeo dignationi tuæ, dignissime Magister noster, pro diu desiderato mihi tuo de me judicio. Et quò meliùs clariusque de me possis opinione dijudicare, statui quantumlibet laboris fugitans, aliquantò longiusculum desideratis tuis scriptis respondere. Indagandæ veritatis desiderio tractus, non debeo pigritari, ubi cum doctore orthodoxo, & eo veritatis amantissimo & studiosissimo, longùm desiderata offertur non solùm, & petitur conferentia.

Inprimis itaq; rogo, & per geminam charitatis legem obsecro, non sic hanc meam singularitatem accipias, velut jactantiam putem, quasi cunctis in dictis meis quandam nitar invenire novitatem. Quod si mentem & animum meum cernere posses, profectò non jactantiam, sed magis querimoniam judicares, qua coram Deo in oratione sæpè aures misericordiæ suæ pulso, ne propter duram cervicem meam, nonnunquam jure mihi suspectam, abduci me sinat in reprobum sensum. Mihi credo, si erro, non tam libidine quàm hebetudine seducor, bono interim & sereno animo certus mihi, quòd semper tanta sollicitudine veritatem fidei quæsivi & quæro, quam cùm invenero, non solùm per tui similes viros doctissimos & probatissimos, sed & per quemcunque etiam novissimum, etiam per me ipsum, semper paratus sim corrigi & confiteri. Et id facto non semel Parisius ostendi, primò quando vocatus Heidelbergam neglectis grandibus beneficiorum pollicitationibus, quas per dictum Quapponem, pro tempore confessorem domini Archiepiscopi Coloniensis, Comes Palatinus offerebat, ea sola inten-

Quare Heidelbergam reliquerit, & Parisios profectus fuerit.

intentione & animo Parisius contendebam, ut famosissimos illos duos viros Magistros, Henricum Zomeren, & Nicolaum trajecti, velut novus & singularis athleta suis opinionibus disturbarem, & à sententia formalium in meam realium revocarem. Hæc mihi tamen fateor arrogantia fuit. Sed ubi fortiorum occursu, propriam deprehendi imbecillitatem, ante tres menses meæ sententiæ cessi. Et mox omni studio scriptores conquisivi in libros Scoti, Maronis, & Boneti, quos illius viæ principes acceperam. Neq; illo contentus, ante annum incœptæ viæ Scoti, & cum omni diligentia quantum potui perspectæ graviores in ea, quàm in via realium errores deprehendens, etiam corrigi paratus, mutavi sententiam, & nominales deprehendi. In quibus (ingenuè fateor) si quid fidei contrarium putarem, hodie paratus remearem, vel ad formales, vel reales, unde secundum sententiam B. Augustini *24.q.3.c.* dicit Apostolus: Nullius mihi pertinaciæ conscius sum, etiam si non mox acquiesco, quando propter hebetudinem non assequor, quod aliis datum celeriùs clariusq; capere. Argumento & exemplo mihi sanctus ille & catholicus orthodoxus Hieronymus, qui in tam grandi & periculoso errore totius Canonicæ scripturæ autoritatem subruente, proptereaq; pejore, quàm vel Arrii, vel Sabellii error fuerit, non mox monenti Augustino cessit, sed sententiam defendens & contradicens, rescripsit Epistolam. Dices fortassis, non tantas hodie concedi inducias. Neque contra id ego contendo, sed hoc mihi satis est, si tam quærendi veri morosa sollicitudo verè Hieronymum, quia sincera fuit, ab hæresi defendit, nullum ego credo hæreticum, qui pari sollicitudine verum quærit, & pari promptitudine agnitum confitetur.

Relicta via realium & etiam formalium, ad nominales declinavit.

CAPUT I.

Asseris item, neq; discredo, multos meam hanc singularitatem scandalizare. Neq; minus me hoc illorum scandalum urit. Quod ego nullo singularitatis ambitu, sed veritatis (ut mihi videor) zelo raptus & coactus, non hodie, sed ante annos 33. crebrò Parisiis inter doctos quosq; proposui, quoniam à puero ridiculum & indignum semper mihi visum, credere aliquem hominem suo decreto posse facere, quo bonum in oculis Dei, ut quatuor, fieret bonum ut octo, solo decreti humani accessu aut interventu.

Quòd nova sit indulgentiarũ assertio, & quòd indulgentiæ sint piæ fraudes.

Confiteris tu maximas ob causas, interdum te à veteribus Patrum limitibus recedere. Num igitur tibi leves aut futiles causæ videntur, quibus ab hac nova indulgentiarum assertione, patres ante Albertum & Thomam (ut ipsi scripto testantur) discesserunt, asserentes nihil esse, nisi piam fraudem ac dolum non malum, quo plebs officioso errore trahatur ad pietatem? Non ergo temporibus illis omnes credebant, neq; qui sincera sollicitudine verum quærebant, hæretici fuerunt. Mihi sanè non parvæ illorum causæ videntur, qui propter indubitatam scripturæ autoritatẽ, necessariò confitendam, à probabili sententia Pontificum discesserunt. Apertiùs dico: Quamdiu mihi videtur, quòd Papa vel schola, vel quæcunq; multitudo contra scripturæ veritatem asserat, semper debeo scripturæ veritatem prima sollicitudinis parte amplecti, secundò autem, quia non probabile tantos errare, debeo diligenter veritatẽ utriusq; partis pervestigare, sed semper cum reverentia majore sacri Canonis, quàm humanæ assertionis, quicunq; sint assertores.

De erroribus in materia indulgentiarũ à Romanistis pesti-

Quantos errores in materia indulgentiarum Romana curia temerè præsumpserit, & pestilenter publicaverit, & hodie noxiæ pullularent, nisi sana paucorum verorum Theologorum seve-

ſeveritas obſtitiſſet, non opus omnia commemorare. Tu tibi teſtis, & argumento es, in his quæ vel Pariſiis vidiſti, vel, inde regreſſus, in patria feciſti & pertuliſti. Tu noſti, ſi tuis adverſariis fundata ſupra firmam petram pietas in cauſa fuit. Noſti quanta Eccleſiaſticæ autoritati, quanta catholicæ fidei reverentia debeatur: habes in hanc ſententiam totam ferè novam diſtinctionem.

lenter publicatis.

Cap. II.

QUod ad aſtruendam antiquorum autoritatem, gravem illum veritatis teſtem Buridanum allegas, non ſolùm probè, ſed & liberaliter facis, mihi licentiam non ſolùm, ſed & incitamentum afferens, tantum virum ſequendum, qui tam favorabiliter & rectè pro antiquis loquitur, & magis pro antiquioribus, quorum probatior commendatiorq; virtus ad nos pervenit. Nunquid cùm dicit: Antiquorum traditionibus nunquam deceptum fuiſſe Albertum, Thomam vel Scotum, vel univerſæ realium aut formalium ſcholæ quenquam notavit? Hos enim omnes novitios & ferè contemporaneos æſtimavit, patet hoc facilè per totum illius clari operis decurſum, ubicunq; problematicum aliquod incideret, non ſecundum illorum, ſed ſemper ſecundum nominalium ſententiam terminat. Alii ſunt igitur antiqui illi, quorum ſententiis præſertim in moralibus nunquam ſe confitetur deceptum.

In materia indulgentiarum non potes à me non diſſentire, neq; tamen rationibus oppugnare intendis, quia non ſperas durum caput meum rationibus oppugnare, quod neq; malleo communis credulitatis omnium, neq; gladio autoritatis antiquorum Patrum valeat emolliri. Quid quæſo, vir bone, quod rationibus dicis, non te compugnaturum? quaſi ego rationem

non fidem attulerim. De autoritate antiquorum aliquatenus tetigi, tacturus amplius ubi magis opportunum.

De communi autem credulitate consideratiùs aliquanto disserendum video, & necessarium judico, tum ex tua, tum scholæ, tum potissimè Christianæ religionis assertione. Palàm enim tu in sequentibus asseris, non posse quenquam certitudinaliter judicare, neque adeò desipis cum plerisq;, ut consentias firmum fore quicquid in talibus Papa statuerit, si deliret? Tu solas eas firmas confiteris, quando clavis non errat, & Christus non reprobat. Quasi vel perfectæ charitatis ministerium per Spiritum sanctum in cordibus fidelium diffusæ (quam solam Augustinus regni clavem definit) errare possit, vel talis clavis ministerium aliquando Christus reprobet.

Quæ sit clavis regni secundum August.

CAP. III.

Gerson multa in abusu indulgentiarum reprobat.

VEnerabilem illum Gersonem allegas, dignum allegatu, dignum consideratu. Qui multa valdè in abusu indulgentiarum reprobat. Primò, dum principaliter eas magis ad potestatem ordinis, quàm ad potestatem jurisdictionis refert, hanc in indulgentiis eminentiorem, utiliorem, eligibiliorem. Hoc verbum tanti viri, si ad rigidam veritatem, quam continet, explicetur, nónne statim status omnium indulgentiarũ, & omnis nutat assertio, quando per simplicis pastoris aut sacerdotis ministerium ordinis, per sacramentalia dignè percepta, eligibiliùs, utiliùs, eminentiùs, ac per hoc & propinquiùs ad plenariam remissionem acceditur, quàm per omnem plenitudinem Papalis jurisdictionis?

Confitetur idem varios variè tradere de indulgentiis, nihil igitur unum & inconfusum traditur. Confusa verò credulitas non est catholica, sed seditiosa magis, quia singula singulorum. Quòd si pauculas eas annotationes perspicaciter consideres,

deres, videbis Papam nihil posse, nisi vel jurisdictione Papali propria, vel ordine clericali, vel adoptione filiali. Tres enim has potestates in Ecclesia invenimus. Tertia propriè propria filiis adoptionis, & propter eam reliquæ duæ potestates in ejus ædificationem sunt. In ordinis potestate, sive Presbyter, sive Episcopus, ministerium quidem exhibet, secundum Ambrosium, sed nullius potestatis jura exercet. Juxta ordinis potestatem Papa si quid potest, id jurisdictione potest, & illa directè & principaliter, secundum eundem Gersonem, nullam pœnam dimittere potest, nisi quam infligere potest, uti sunt excommunicatio, suspensio, inhabilitatio, privatio, irregularitas.

Tres potestates Ecclesiæ.

Præterea tenet idem doctor, quòd solus summus Pontifex Christus (excludit igitur Pontificem Romanum) cum Patre & Spiritu sancto potest plenaria autoritate dare omnimodam indulgentiam à pœna & culpa, quam dum confert, simul dat innumerabiles dies & annos indulgentiarum infinitos. Graviter per hoc verbum, licet leviter videatur annexum, invenies errorem plenariæ remissionis, quasi dicat: Papam nō habere talem immensam potestatis plenitudinem.

Summus Pontifex Christus non Romanus dat indulgentias à pœna & culpa.

Et graviter valdè contra fundamentalem intentionem facit verbum ejusdem venerabilis viri, quo dicit, & verum dicit, quòd in justificatione impii naturaliter prius gratia infunditur, quàm culpa dimittatur, & quòd priùs reatus dimittitur, quàm culpa dimittatur. Primi ratio, quia nō tollitur privatio, nisi constitutione habitus. Secundi ratio, quia lex non mulctat, nisi prævaricatorem. Prævaricatione igitur cessante, cessabit & mulcta, post ergo culpam perfectè dimissam, nullus restat reatus. Reatus enim culpam seu prævaricationem habet pro causa totali. Convertibiliter igitur cum ea statuitur ac destituitur.

Quòd gratia infunditur, antequam culpa dimittatur.

Præterea expressè reprobat idem venerabilis Theologus, illas tantorum annorum indulgentias, passim in diversis Ro-

Gerson multorum annorum indulgentias reprobat.

manorum Pontificum concessionibus repertas, & enormitatem vocat. Notat igitur Papam de errore, quando ad quæstorum turpitudinem revocat. Quando item communes indulgentiarum concessiones asserit difficile salvabiles, probans donationem irritam esse, quæ se extendit ultra mensuram obligationis. Et manens in fundamento suo priore, quo nullam pœnam relaxare potest, nisi quam posset infligere. Pro ratione dicti subdit, quòd nullus minister Ecclesię possit ad pœnam temporalem tantùm obligare.

Papa nullam pœnam potest relaxare, nisi quam possit infligere.

Consilium Gersonis.

Consulit idem venerabilis Theologus, ut suas indulgentias Papa moderetur, quo divinæ justitiæ simul & misericordiæ non derogent. Istud consilium si sanum, sicut verè sanum consilium est, neq; de impossibili, neque de inevitabili dabitur, quia in talibus non cadit consilium. Potest igitur Papa per suas indulgentias, divinę justitiæ, divinæq; misericordię derogare. Sed hoc impossibile, nisi divinæ sapientiæ præjudicet. Sed hoc non nisi per propriam stultitiam & errorem, quod si faciat, scandalum præbet pusillis.

CAP. IV.

POnit præterea venerabilis ille quasdam considerationes ibidem tanquam absolutas, quæ si absolutæ sint, ab re positæ sunt, nihil facientes ad propositum. Igitur si ad indulgentias aliquid facient, oportet comparativè intelligantur. Dicit itaq; : Si quis petit pro se, & id perseveranter, & piè, & in nomine Jesu, & ex charitate petit, efficax erit ejus oratio, quia fundatur super verbo: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hæc si comparativè ad concessionem bullæ Papalis referantur, quid aliud cõcludunt, quàm potius inniti verbo Domini, quàm bullæ Papali? Valdè hoc loco considerandum & quærendum puto, quale oporteat esse nomen illud Jesu, in quo petentes accipient.

cipient. Non enim puto, quòd notio illa, qualem de Domino Jesu Cayphas & Annas habuerunt prophanam & indignam, idoneam fuisse ad impetrandum apud patrem. Sed aliud nomen pium & sanctum, sapientiale scilicet, quod qui habet, scit quanta oporteat pro nomine Jesu pati, hoc nomen sapientiale de Deo, de Jesu sanctificari petimus. Quæro igitur hoc nomen Jesu, quàm sanctificatum esse debeat, & petitio quàm fervens esse debeat, & ardens, ut omne petitum impetret? Potest enim minus ardens & ardentior esse. Quòd si sanctificatissimo nomine ardentissima fuerit, uti debet, utrum ad obtinendum quod petitur Papæ voluntas necessariò interveniat? Quæ si non necessariò interveniat ad impetrandum, rationabiliter illa consideratio à tanto viro interposita est.

Certissimum signum indulgentiarum.

Sed omnium potissimè considerandum verbum ejus finale, quo dicit, certissimum signum salutaris indulgentiæ esse, bona facere, & mala pati. Certiùs igitur hoc signum secundum hunc venerabilem Theologum, quàm Bulla plumbata, secundum omnes regulas Cancellariæ, dato etiam quòd propria manu Papa de plenitudine potestatis ex certa sententia subscripserit. Sed hoc certissimum signum, nisi merè perfectum fuerit, non erit certissimum. Dicit enim Propheta: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quærendum igitur, quomodo contritum, & quanto? Tropo dicitur contritum, quod inter molares à tumore proprio ac duritia comminutum. Et qui sunt hi duo molares, nisi quos venerabilis hic doctor ponit, facere bonum quod præcipit, pati flagella quæ infligit. Hi sanè duo molares, granum frumenti & adipem pinguem præbentem delitias regibus, Patri, Filio, & Spiritui sancto, quos ideò reges in plurali dicit, quia personaliter plures, quando etiam sacer Canon eos Deos viventes in Hebræo fonte nominat. Hoc granum frumenti perfecta contritione ad minima sui humilia-

tum & contritum, ut nihil sui amoris retinuerit, ut sine exceptione dicere possit: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ad utrumq; scilicet paratum, ad currendam viam mandatorum tuorum, & paratum cor meum Deus in flagella tua. Profectò si utrumq; perfectè dicere possit, certissimum juge signum indulgentiarum habebit. Verùm si quid adhuc sui amoris habet imparatum & incontritum, licet centum Bullas habeat, filo & plicatura, & omnibus Cancellariæ clavibus aut ferreis instructas, quantò adhuc incontritum, & minus humiliatum cor ejus, licet verè contritum, & verè confessum, quia imperfectè contritum & confessum, tantò Deus adhuc despiciet.

Liquet igitur ex venerabilis hujus viri sententia, indulgentias Papales non tam certum signum remissionis esse, quàm perfectam contritionem cordis inter hos duos molares contriti. Sed omnium catholica confessione certum est, quod ista talis contritio, si perfecta fuerit, nullis Papalibus Bullis indigebit. Et hæc si minus perfecta fuerit, per Papam perfici non poterit. Papalis, ut plenaria sit, hac indiget, & hæc si plenaria fuerit, Papali non indiget. Hæc de venerabili illo Gersone.

Cap. V.

De varietate opinionum inter doctores de indulgentiis.

De reliquis autem quid censendum sit, qui tanta invicem varietate inter se dissident, ut ferè impossibile sit duos invenire, prorsus invicem concordantes. Tu cum Gersone & Bonaventura contra doctorem sanctum non necessariò præcisè quantum sonant valituras. Bonaventura quo validæ sint, oportere justam causam subesse. Doctor sanctus non putat privilegium S. Petri salvum & integrum, nisi valeant pręcisè quantum sonant. Neq; aliter putat universalem Ecclesiam ab errore damnabili posse defendere. Et eligit magis damnare Papam de peccato irrationabilis concessionis, quàm de errore falsæ assertionis.

Com-

Communem contra me credulitatem allegas. Quis quæso religiosorum etiam Cartusiensium aut Minorum de strictissima observantia, per Bullam indulgentialem in extremo vitæ absolutus, à suo Priore nolit, ut post mortem oretur pro eo? Et quis est vivorum qui non oret pro illo? Dicis forsan post indulgentialem absolutionem venialiter illum peccasse. Sed illam scrupulosam cavillationem Eugenius Papa excludere volens, declaravit suam desuper voluntatem, quod solùm pro ultimo instanti vitæ, quo morientes mox in gratia discederent. Pro tali igitur moriente, & sic indulgentiis munito tuam fidem & confessionem exigo, velles adhuc pro te orari? velles adhuc pro alio orare, aut non? Quòd si dicas utique, ubi illa tua communis omnium credulitas? Quanta igitur communis credulitas, cui merè sapiens integrè confidit? Primum sanè credulitatis argumentum firma fiducia.

Nota cautelam Eugenii.

CAP. VI.

Confiteris nihil à Patribus expressum in scriptura, hoc si affirmativè intelligas, videlicet pro stylo & consueto cursu indulgentiarum in Ecclesia solito, satis assentior. Si verò penitùs distribuas, ut prorsus nihil de eis vel astruendis, vel improbandis habere putes, valdè renitor. Ponit enim judicio meo, non primus Papa Petrus, sed per Petrum Spiritus sanctus, unicam solidam & solam Bullam indulgentialem, quam solidam contestatur, quia per eam abundanter ministratur introitus in regnum Dei salvatoris nostri Jesu Christi, & quòd eadem etiam sola sit, idem contestatur, subdens, quòd cui non præsto sunt illa decem illic enumerata, cæcus est & manu tentans, & oblivionem accipiens purgationis veterum delictorum. Nulla igitur alia Bulla suscipienda vel admittenda, quæ non hanc includit. Omnis igitur alia superflua. Aliquid igitur habetur in scri-

Bulla Sp. S. &c. Nullus Petri successor potest relaxare.

pturis

pturis de indulgentiis, quia de abundanti introitu in regnum. Quid enim aliud abundans introitus in regnum, quàm plenaria remiſſio à pœna & à culpa? Præterea cœcitas, & manu palpatio, & veterum delictorum purgandorum oblivio, quid eſt aliud, quàm à regno excluſio? Hanc meo interim judicio unicam ſolidam, & ſolam indulgentiarum Bullam Petrus Apoſtolus in ſecunda Canonica, capitulo primo ponit. Aliquid igitur invenitur in ſcripturis de plenariis indulgentiis, licet non ſecundum uſitatum hodie morem in populo. De hujus Bullæ integritate nullus Petri ſucceſſor aliquid relaxare poteſt, nihil fœcundiùs adjicere.

CAP. VII.

Antiqui doctores nihil expreſsè de indulgentiis dixerunt.

DOctores antiqui nihil expreſsè ſcripſerunt, quia talis abuſus nondum temporibus Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Gregorii irrepſerat. Et ſi Gregorius magnus dicatur, quod nuſquam tamen legiſſe confiteris, ſeptennes in ſtationibus Romanis indulgentias collocaſſe. Ex hoc tamen non audes, quemadmodum nec debes, mecum illam ſententiam effundere, &c. quòd dicis ex hoc: quid quæſo illud ex hoc? An quia vulgo dicitur, an quia nuſquam legiſti? quaſi ego ex altero duorum, tanquam idoneo argumento ſententiam aliquam effuderim. Valdè ſiquidem ab re, propterea ſententiam aliquam effundere, quia vulgo dicitur quippiam. Si verò propterea ſententiam aliquam non mecum effundis, quia nuſquam legiſti. Sed neq; ego ſententiam, vel hanc vel ullam effundo, quia nuſquam legi, Gregorium magnum ſeptennes illas indulgentias in ſtationibus collocaſſe. Qui ante annos 34. Pariſius dicaciter magis quàm ſagaciter, utinam non temerè, inter doctiſſimos quoſq; crebro & Romæ anno penultimo Pauli, in pœnitentiaria Papæ ſententiam hanc effudi, quam nunc tibi effundo, quoniam ita com-

Autor iſte Romæ & Pariſiis de indulgentiis diſputavit.

compellare placet. Effudi paratus tamen tribus illis Theologis Magiſtris noſtris Pariſienſibus, Wilhelmo de Phalis, Johanne de Bruxella, Johanne Picardo, conferre ſententiam hanc meam cum illis. Horum duo primi, de pœnitentiaria Papæ, quartus ego illis paratus conferre non meas rationes, ſed ſcripturas meo judicio meam opinionem de indulgentiis tangentes. Sed venerabilis Magiſter noſter Johannes Picardus recenter de Pariſiis veniens, & non parva ex parte ab olim quæ argumenta mea recolens, quemadmodum & reliqui duo, vetuit meam ventilare, aſſerens minus quàm duobus menſibus ante ſuum ad nos adventum, diſputationem Pariſius fuiſſe in vico Sorbone, à quo nemo doctior, ſed omnes quàm venerant confuſiores receſſerunt. Meminiſſe potes, annus enim erat neſcio ultimus Pauli, quo tu non poſtremus de ſchola Theologorum Pariſius fuiſti, & præcedente die qui Lunæ in carniſprivio fuit, invitato mihi per cubicularium Papæ Henricum Dalman in Camera Parlamenti, prandentibus nobis, per jocum dixit Magiſter Wilhelmus, qui ſuprà de Phalis in aurem Joannis de Bruxella: Vellem nunc adeſſe Magiſtrum noſtrum Jacobum Schelwert, & ſubriſerunt ambo, ut cubicularius verbi & riſus cauſam quæreret, & illo cauſam dante propter meam ſingularem de indulgentiis opinionem, non parum ex loco illo agitato mihi, ſolatioſè ſatis cubicularius hoc accepit, inquiens, non hoc novum eſſe. Quin etiam poſtea Curiales ipſos audivi, plenis verbis in meam ſententiam conſentientes, & id liberiùs quàm ego.

Opinio de indulgentiis crebro agitata.

Num ſubdis verbum, iſtud ſcilicet: Et revera ut nihil te celem, inauditæ veritatis horrore attonitus, primò ſcribere deſtiti. Quæ quæſo veritas illa tali ac tanto viro inaudita? Et quid eam, ſi veritas eſt, horruiſti? Rogo te, ſi verè nihil me celas, non hanc me veritatem celes, ut & ego inauditam eam ex te audiam diſcamq́; ſaltem in hoc nunc ſcribere non deſiſtas. Verè enim

Amator veritatis cupit doceri.

profiteor tibi, conferentiam hanc indagandæ veritatis me causa suscipere, & libenter suscepi, sperans per te, per tui similes bonos magis quàm contentiosos vel instrui, vel confirmari in veritate, quam semper à puero quæsivi præ omnibus rebus, & nunc magis quàm unquam, quia per veritatem unica via est ad vitam. Plus autem, saltem non minus gratulabor victus quàm victor, quantò mihi meus, quàm alienus, profectus optatior est, vel esse debet. Unde non parum admiror te virum sapientem, quòd me tam levem facilemq; assertu judicas, ut ex hac sola negativa, quia nihil in scriptura continetur de indulgentiis, adeò solummodò moveri me putes. Scio sanè non solam S. Scripturam esse fidei regulam adæquatam. Scio quædam per Apostolos tradita, quæ scripta non sunt. Et omnes eas traditiones, velut Canonicam scripturam, in fidei regulam suscipiendas. Hæc duo sola, & quæ ex his per necessariam consequentiam evidenter deducta constant, unicam fidei regulam constituunt. Et hanc solam fidei regulam confiteor ad rigorem, à qua nemini licet absq; salutis interitu declinare. Multa tamen extra hanc piè credenda, hoc est, non abnuenda, propter pietatem quam evidenter fovent.

August. Epist. c.13. ad Ianuarium.

De sacramentali confessione mos Ecclesiæ, non admodum tibi displicet, illam à Christo traditam Ecclesiæ per Apostolos. Placet mihi hæc tua sententia, generalibus quidem Johannis in sua Canonica, sed specialioribus verbis Jacobi confirmatam. Confiteor ergo in hac fideli regula debere me pendere ex Ecclesiæ autoritate, cum qua credo, non in quam, credo autem in Spiritum sanctum regulam fidei regulantem, locutum per Apostolos & Prophetas, cum Ecclesia sancta credo, secundum Ecclesiam sanctam credo, non in Ecclesiam, quia credere actus latriæ est, virtutis Theologicæ sacrificiũ, soli Deo offerendum. Et secutus adjungis, quòd nonnulli ex nostris volunt indulgentias,

Credendum secundum Ecclesiam sanctam, non est in Ecclesiam.

gentias, ita esse de fidei regula. Qui quæso sunt illi? Nónne venerabilis ille Antonius Florentinus Episcopus, vir in vita sua spectabili honestate præditus, ut hodie multa cæra tumbam ejus, ubi requiescit, adornet: qui velut hæresin censet aliquid contra indulgentiarum cursum sentire? Sed nunquid igitur Gerson hæreticus, qui tam graviter & fundamentalibus verbis hodiernum cursum inussit? Video quorsum ista tendunt, quia si verum illi dicerent, omnis qui contradiceret in regulam fidei, quia contra traditionē Apostolorum impingeret, & si pertinaciter insisteret, hæreticus esset. Sed ubi quæso illi ex nostris, imò (ut cum stomacho loquar) suum hoc mendacium, suum hunc errorem stabilient? Nunquid Evangelio aut Apostolorum consuetudine traditum? Nunquid perenni à temporibus Apostolorum observatione perpetua consuetudine roboratum? Studiosissimus ille qui supra Chronographus Antonius, qui in hanc sententiam plurimus est, planè confitetur, nondum invenisse, quando indulgentiæ habuerint initium. Et quasi Legistis & Canonistis potior in hac re valeat autoritas, ipse Theologus Doctor & Episcopus Johannem Andreæ conjugatum allegat, scripto reliquisse, quosdam alios doctores referre Bonifacium VIII. de consilio Cardinalium primum instituisse. Digna auctoritas quæ tanti viri sanctitate roboraretur. Tria grandia fecit Bonifacius ille, persuasit Celestino cedere Apostolatum. Asseruit Papam dominum omnium, statuit indulgentias. Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, defunctus ut canis. Et eundem plenarias voluisse fore de centinarium in centenarium, tresq; tantùm assignasse Ecclesias visitandas, Lateranensem, S. Petri, & S. Mariæ majoris. Et hoc circa annum Domini 1300. Igitur per hos 1300. annos, ubi & quare obdormivit illa Apostolica traditio, si sic Apostolica, ut in regula fidei strictè accepta, connumeranda sit? Non puto ego in regula fidei censendum,

Quòd Bonifacius VIII primò indulgentias instituerit, Anno Domini 1300. qui & Iubileum instituit.

quicquid Bonifacius VIII. vel post eum Clemens, aut Gregorius determinaverunt. Satis ad hoc venerabilis ille Gerson: palàm reverendissimus ille Antonius confitetur copias Bullarum Clementis tantam continere exorbitantiam, quòd non credit fuisse bullatas, quæ tamen hodie Viennæ Limovis, Pictavis plumbatæ in thesauro privilegiorum reservantur.

Bullæ Clementis ubi serventur.

Et subdis te in hoc, tanquam conferentiæ nostræ fundamento, velut in basi, etiam ex corde mihi repugnare. Quid quæso illud fundamentum & basis tam solida? An quòd indulgentiarum ipse cursus Apostolorum Christi traditione incœptus, continua Patrum observatione talis ad nos pervenerit? Hanc enim proximo præmisisti. Suspicor igitur hoc tanquam fundamento & basi te mihi ex corde repugnare. Aut si aliud pro fundamento vel basi habes, id explices, cujus motivo firmiter credis & asseris Papam plenariam posse decernere indulgentiam.

CAP. VIII.

HOc firmiter credis, non tamen cum plerisq; desipis, ut consentias firmum fore, quicquid in talibus Papa statuerit. Tu firmiter credis & asseris, Papam plenariam posse decernere. Et pleriq; si consentiant firmum fore, quicquid in talibus Papa statuerit, judicio tuo desipiunt. Utraq; hæc tua verba sunt, plenariam indulgentiam si decernat, firmiter credis & asseris. Et si quicquid in talibus Papa statuerit, consentias, desipis, nisi fortè extra hanc plenariam indulgentiam, aut supra statuat. Non video quomodo nutantia hæc verba quadrabis, ut coëant. Non decent magnoperè constantem animum tuum nutantia hæc verba: Nosti, schola nostra nominalis, talem verborum diffidentiam & discohærentiam non admittit. Si propterea non desipis, cum plerisq;, quia nõ putas firmum fore, si quid in talibus statuerit. Non jam firmã fore desipies, ubi plenariam statuerit.

Et

Et velut pro ratione ſubdis, etiam ſi Papa deliret, quid ſi non pro ratione ſubderes, incaſſum ſubderetur. Ac ſi, ut judico pro ratione ſubdis, rationabiliter mecum ſentis, in talibus Papam poſſe delirare. Sed quæſo te, quomodo poterit in talibus delirare, ſi non per inſcitiam, perfidiam, aut malevolentiam à regula fidei exorbitet. Sed qualibet horum modorum, indulgentiarum donatio caſſa & ambigua delirabit. Cautus igitur ad conditionalem, tanquam inexpugnabile vallum, refugis, hoc tantùm firmum fore quod in hujuſmodi Papa ſtatuerit, clave non errante, & Chriſto non reprobante.

Quid quæſo neceſſaria conditio illa, clave non errante? Quæ namq; clavis illa regni cœlorum, & quis error ejus clavis? Clavem igitur talem ponis, quæ errare poſſit, & ſimul efficax & legitima regni & cœleſtis regni clavis eſt? O formidoloſum regnum, cujus portæ, ſerræ, vectes, claves hujuſmodi ſunt, quibus error & falſitas & ignorantia ſubrepere poſſunt. Clavis quam Auguſtinus explicat, charitas eſt per Spiritum ſanctum diffuſa in cordibus filiorum regni, has duas claves Dominus Jeſus ante reſurrectionem Petro promiſit, quando dixit: Tibi dabo claves regni cœlorum: Et quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: Et quodcunq; ſolveris ſuper terrã, ſolutum erit in cœlo. Has item claves poſt reſurrectionem non uni, ſed unitati donavit, quando inſufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: Et quorum retinueritis, retenta ſunt eis. Iſtas duas claves penes Auguſtini ſententiam, nequaquam vel Chriſtus aliquando reprobat, neq; aliquando errare contingit: quia charitatem per Spiritum ſanctum diffuſam in cordibus filiorum Dei, & Spiritum ſanctum regni claves exponit, & ſolvere & ligare dicit ſimilitudine charitatis in conſortium recipere, vel diſſimilitudine à conſortio excludere. Et quia ſic in conſortium ſimilitudi-

Error clavis quæ ſit.

Clavis ſecundum Aug. charitas per Sp. S. diffuſa.

nis recipere pietatis magis est quàm autoritatis, quisq; sanctorum nullo sexu vel conditione prohibetur ligare & solvere, neq; hanc ligationem aliquando Christus reprobat, quia neq; aliquando errare contingit. Si verò clavem errare dicas, quando erratis cui commissæ claves sunt, non verbis pugnam paro, quoniam ego sententiæ Augustini fixus hæreo, quæ talem nutantium verborum ambiguitatem non formidat. Imò sic totus in tuam sententiam concedo, confitens primum & sanctissimum Papam Petrum errasse, quo postera sciret Ecclesia, non sese ligatam summorum Pontificum determinationibus. Quin in dissidentia fidelis omnis teneatur, exemplo S. Pauli pro regula fidei contra Papam in faciem, &, si non aliter, coram omnibus resistere.

In B. Petro ostensum Ecclesiam Pontificũ determinationibus nõ ligari.

Adducis verbum venerabilis illius viri Thomæ de Cursellis, volentis Petro dictum, quicquid solveris, non ei dictum esse, quicquid dixeris, & benè alligatum ac dictum verbum ad veritatem. Sed nondum per hoc satis declaratum. Plus enim oportuit adjicere, quomodo scilicet & per quæ ligaret & solveret, quo verbum Christi clarum & lucidum & indubitatum fieret. Ego autem sic accipio, quòd minister Christi, si secundum traditionem Christi & Evangelii ministret, sive fidei verbum, sive fidei sacramentum, sive charitatis exemplum, & subditi sive auditores fideliter accipiant, quòd revera fidei & pietatis minister solvat & ligat in terra, ligata & soluta in cœlis, & quacunq; alia via vel solvere vel ligare tentet, nihil esse quod facit. Nihil enim nisi salutaris pietatis ministerium Petro puto & successoribus ejus promissum. Et hoc interim, donec per te aut alios fuero sanius informatus.

Minister Christi solvit & ligat soluta & ligata in cœlis.

Ministerium pietatis Petro & successoribus ejus est commissum.

Neq; parum horrori mihi est verbũ tuum illud, quo mones, quòd magis quàm pro ratione mihi esse debet autoritas Papæ. Nunquid Parisiens. facultati Theologiæ, non dico ratione majus

Parisienses Cle-

jus fuit: imò nunquid fuit pro ratione Clementis autoritas, quando temeritatem illam angelis in cœlo præcipientem reprehenderunt & correxerunt, quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio quas vellent elargiebantur. Item nunquid, quando indulgentias à pœna & culpa publicabant. Horum tamen errorum hodie Bullæ plumbatæ reperiuntur. Tu autem mones in hujusmodi autoritatem Papæ non solùm pro ratione, sed super rationem debere esse mihi. Quæ quæso in his ratio mea, non Scriptura sacra? Nunquid vis Papæ mihi autoritatem supra Scripturam sacram esse? Papæ voluntas & scipturæ autoritas non æquè constituta sunt, ut voluntas Papæ secundum scripturæ veritatem, non veritas à Papæ voluntate regulanda sit.

mentis temeritatem reprehenderunt.

Papæ voluntas secundum scripturæ autoritatem regulanda.

Et hinc velut minoris momenti fundamento adjicis prælatorum autoritatem, & ne quid summè desit, addis insuper doctores. De prælatorum autoritate quod allegas, non aliud puto, quàm principium petere. Doctores non omnes largiendas volunt, nisi quantum proficiunt ad pietatem, & in hanc sententiam nonnulli mitiùs loquuntur, dato quòd in multis una tecum Ecclesiæ formam & abusus non approbant. Qui quantumlibet indulgentiarum concessionem non parvipendendam esse, sed in fide, spe & charitate Christi amplectendam. Neq; ego parvipendendà duco, quin devotè in fide, spe & charitate Christi dona Ecclesiæ data in clavibus complector.

De prælatorum autoritate.

Dona Ecclesiæ in clavibus.

Cap. IX.

CÆterùm illud verbum Augustini de Evangelio & Ecclesia non amplius probat, quàm continet, originis non comparationis verbum est: Evangelio non crederem, nisi Ecclesię credidissem. Quemadmodum primæ multitudinis credentium quisq; rectè dixisse potuisset: Ego Evangelio non crederem, nisi Pe-

si Petro credidissem. Sic & ego hodie nisi domesticis primum puerulus, & postea scholasticis, demum Ecclesiasticis credidissem, hodie Evangelio non crederem. Evangelio tamen magis quàm alicui mortalium multitudini credo, adeoq; debeo credere. Quòd si sentirem omnes homines discredere, denuò nihilominus Evangelio, quàm illis adhærere, parvulæ nascentis adhuc fidei originem texit Augustinus in verbo suo, non autoritatem Ecclesiæ cum Evangelii dignitate comparat.

Quòd in corpore juris pleraque capitula de indulgentiis loquuntur, sino & ratum habeo, quia novi quòd ante tempora Johannis XXII. fuerit indulgentiarum usus in Ecclesia, & ex hinc Decretalibus insertum non abnuo, sed ut propterea velut fide tenendas obliger non assentior.

Ad venerabilis Gersonis moderationem quid sentiam, respondendum, aliqualiter ex præcedentibus puto posse colligi. Christus de peccatorum remissione expressam dedit potestatem, de pœnarum nullam expressit. Sed potestas illa quomodo debet intelligi, satis jam in peccatis solvendis publica fides est. Vult Gerson expresse quòd in peccatorum remissione naturaliter prior sit gratiæ infusio, quàm culpæ remissio, quia nihil aliud est culpæ remissio, quàm gratiæ infusio. Propterea dimissa fuerunt ei peccata multa, quia dilexit multum, & secundum eundem, prior æternæ pœnæ remissio, quàm resurgat à peccato. Et adhæc tria minister Christi quantum cooperatur, tantum ligat & solvit ministerialiter tantùm, quia scilicet verbo vel ministerio concurrit. Sed quantis Dei muneribus in ligato vel soluto perceptis concurrit ministrando, neq; solvens novit, neq; solutus, neq; ipse in imperio vel facultate habet. Et si hæc mea sententia servat & salvat omnia verba Domini, quid opus ulteriorem prælatis tribuere potestatem? Et si quis tribuat, ubi fundabit, ita quòd non oporteat nutanter vel titubanter pro ea

De culpæ remissione & infusione gratiæ.

salvan-

ſalvanda loqui. De adminiſtrationibus ordinum in effectu ſacramentali nemo ambigit, qui ſequatur non ponenti obicem. In jurisdictionalibus verò non ita, ſed hoc ideò, quia juriſdictionalem quidem poteſtatem pleriq; protendunt ad internum forum, fortaſſis ultra quàm oportet. De pœnis ego ſimpliciter teneo, donec ſanius informer, quòd pœna cum ſuo peccato remiſſo remittitur, neq; ullum prorſus à peccato immunem, deinceps obligat ad pœnam.

Unde quòd purgatio indicitur, eſt propter gratiam imperfectam, cum qua quædam venialia manent. Et ſicut illa non ad mortem ſunt, ſic illorum pœna ſolùm temporalis. Hæc ſi ſolùm ſic rationabiliter aſſererentur, moverent mediocriter intellectum urgentes, juxta verbum Prophetę beatificantes eos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, & quibus non imputat Dominus peccatum. Sed habemus apertiùs teſtimonium de pœnis, illud ſcilicet Johannis in Canonica: Perfecta charitas forâs mittit timorem, quia timor pœnam habet. Hæc igitur conſequentia eſt Spiritus ſancti, per diſcipulum illum quem diligebat Jeſus. Quia timor pœnam habet, ideò timor non eſt in perfecta charitate. Ex hac forma arguendi ego arguo à contrario ſenſu. Purgandi in purgatorio habent pœnam & timorem, ergo non ſunt perfecti in charitate.

Purgatio propter gratiam imperfectam.

Sic puto ſenſiſſe venerabilem illum Gerſonem, quia ſcio de mente ſua eſſe univerſam autoritatem Apoſtolicæ ſedis ex Canonicarum ſcripturarum veritate pendentem, debere moderari & æſtimari, non ſcripturæ veritatem ex Papali voluntate aut autoritate, etiam ſi nō deliret aut erret. Quare ſi quicquam poſtea vel in illo de indulgentiis venerabilis ille aliter dicat, mitiùs aliquanto quàm Theologica pura veritas habeat, puto pietati magis tacentem condeſcendere, quo non veritas malitia quorundam puſillis ſcandalum pariat. Noſti ſtudioſam & offi-

Manſuetudo & pietas Gerſonis.

ciosam viri illius pietatem, quam sæpè suam opionionem aliis contra sentientibus deserat. In quo tamen valdè mirandum videtur tam diversum à vero & recto consilium. Ut in Epistola monente quid & qualiter studendum sit, ubi monet illas Logicas acribologias penes distinctiones multipliciū declinare, &c. pleraq; talium scholastico exercitio necessaria. Quis enim unquam ad illum apicem Theologiæ, quo Petrus de Alliaco conscendit, absq; definitionibus, divisionibus, argumentationibus, distinctionibus, instantiis logicalibus perveniret? In disputationibus dico, ubi discussionis dente opus est. Non in sermonibus ad populum, neq; in contemplatione ad Deum. Quomodo Petrus Joannem de Monte sono in rota de errore 14. illarum conclusionum concussisset, nisi distinctione multiplicis aut Elenchi ignorantia antecedente vel consequente delusum docuisset? Opus igitur Theologicis Logicam inferre. Et Gerson ipse quò tandem tantus ipse Theologus, nisi per accuratissimam illam suam Magistri Petri Logicam evasit? Qui non solùm illum de Monte sono, cujus condemnationi idem ipse Gerson interfuit, & justam fuisse asserit: & universum ordinem prædicatorum ab Universitate Parisiensi quatuordecim annis abscissum, eò quòd eorum Baccalarii dictos errores nollent abjurare, zelo quodam doctrinæ S. Thomæ, quam ipse in tertia parte sui tractatus contra Johannem de Monte sono æditi clarè docet, non sic approbatam, quo vel in minimo justam illius doctoris de Monte sono condemnationem impediret. Puto igitur virum illum studiosum pietatis & ædificationis latissima in Ecclesia Dei scandala ex pertinaci Scholasticorum contentione expertum, elegisse magis errorem sustinere veritatis in pusillis, quàm scissuram & scandala charitatis. Et hinc mitiora sua dicta in hanc partem accipienda: uti videmus consilium naufragi, suas & caras merces in tempestate jactantis, quo vitam & animam salvet,

Ordo prædicatorum 14. annis ab Universitate Parisiensi abscissus zelo doctrinæ S. Thomæ.

Gerson errorem sustinere quare elegerit.

ſalvet, natura duce & lucente, quando non utrumque ſaltem quod minus malum ſubimus, quò majus declinemus. Unde & ego ſæpiùs Pariſius, & hodie quandoq; meipſum reprehendo, quòd aliquando cum non capacibus materiam iſtam confero, atq; utinam ſolum ſine fructu. Unde crebro & illum ac te beatos judico, quibus officioſior in talibus moderatio eſt. Legiſti credo ſententiam ejus in propoſitione apud Petrum de Luna, quomodo communis error interdum facit jus. Quoniam prævalente errore multa ſapiens vel agere vel omittere tenetur, qualia ceſſante errore, ſi faceret vel diſſimularet, ipſe graviter eſſet obnoxius. Puto igitur prudentem illum virum, poſtquam diligentibus lectoribus oculos per eas propoſitiones, quę indubitatam veritatem continent, aperuit, conſultè remiſſius rigoroſam abditam veritatem, pro tardioribus, propter contentioſos, tacuiſſe. Quomodo enim aliter tam diſcrepantes, venerabilis illius viri ſententias concordabimus? cùm ſint quædam earum tam evidenter pro me, ut in eis meam ego intentionem fundare putem. Sed id interim apud te. Quædam verò tam remiſsè atq; quietè pro populari aſſertione, quo tu in eis contra me, neq; id ab re, quia pari te & illum ſtudio communis pietatis allegare puto, quo illum ſcripſiſſe, cùm utroſque par procella jactaverit. Et ego conſilium tuum laudo, ſi ita facis, doces & prædicas.

Nota zelum & modeſtiam hujus autoris.

Gerſon quare diſcrepantia in hac materia ſcripſerit.

Quòd in ſacramentali confeſſione nonnunquam ex attrito contritum faciat pœnitentia, omnimodis aſſentior, quando confitens pacto ſacramenti obicem non ponens, promiſſam vitæ gratiam ſuſcipit. Neq; per gratiam viveret, niſi charitatem in aliquo gradu ſuſciperet, qua ſine neq; viveret, neque aliquo modo contritus & humiliatus eſſet. Qui enim non aliquatenus inter illos duos molares paratus eſt conteri, non adhuc humiliatus & contritus eſt: ſed contumax duritia cordis ejus adhuc

Nemo vivit per gratiam, niſi charitatem ſuſceperit.

huc despicabilem Deo facit. Qui si perfectè cõtritus fuerit, non per Ecclesiam obligatus pœnam patietur. Meministi scio vulgatorum illorum verborum *lib. 4. sen. dist. 18.* Alii verò dicunt, solum Deum, nõ sacerdotem, dimittere debitum æternæ mortis, sicut & animam interius per seipsum vivificat. Ipse enim sicut animam per semetipsum vivificat, sic peccata pœnitentium per semetipsum tegit. Sicut enim retinuit sibi potestatem baptismi, ita & pœnitentię. Sed & omnibus liquidò confessum est, quòd in remissione peccatorum nihil operatur sacerdos, nisi sacramenti tantùm administrationem. Sic in pœnitentiæ sacramento Dominus in abscondito per sacramentum operatur secundum dispositionẽ accedentis. Ipse enim per seipsum peccata tegit, quando propter infusam charitatem, ad pœnam non reservat, & tunc debitum pœnæ solvit. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Sunt enim tunc, secundum Augustinum, tecta, quando per charitatem abolita, unde sic inquit: Si enim texit Deus peccata, noluit advertere. Et si noluit advertere, noluit animadvertere. Et si noluit animadvertere, noluit punire, sed voluit ignoscere. Et in fine cap. concludit sic: Ex his apertè ostenditur, quòd ipse Deus apertè pœnitentem solvit à debito pœnæ. Et tunc solvit, quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionem. Et in rubro dicit, hanc esse sententiam veriorem, quàm illam de præcedenti cap. ubi quidam volunt culpam divinitùs, sed pœnam per sacerdotem dimitti. In octavo cap. allegat verbum Ambrosii in eandem sententiam dicentis: Sacerdos quidem suum officium exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Et idem: Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis mortuus est. Et item Augustinus: Nemo tollit peccata, nisi solus agnus Dei tollens peccata mundi: & quomodo tollit peccata, nisi dimittendo debita? Debita quomodo dimittit, nisi dando quo faciamus legem totam, ut nec jota, nec apex

Solus Deus debitum æternæ mortis remittit.

Quid sacerdos in remissione peccatorum operetur.

In pœnitentiæ sacramento Dominus in abscondito operatur secundum August. peccata quando tecta.

Ambrosius de absolutione sacerdotis.

apex desit? Nam is dimittit præterita, qui præservat à præsentibus, & salvat ab instantibus. Sed postrema duo, præsentia scilicet & futura, tam quoad pœnam, quàm quoad culpam, à solo agno Dei tolluntur. Et quòd hæc Augustini verba non contrarientur verbis Domini, illis videlicet: Quodcunq; ligaveris, &c. consequenter idem magister ejusdem August. verbis ostendit: Illa verba sic intelligenda, quòd Ecclesiæ charitas per Spiritum sanctum diffusa in cordibus eorum, qui charitatis ac Spiritus sancti participes sunt, peccata dimittit. Eorum verò qui horum non sunt participes, retinet. Et in eodem cap. expressè quòd secundum August. distributiones illas esse accommodas, ut sit sensus non quoscunq; volueritis ligare, aut quoscunq; putatis ligare, sed in quos verum justitiæ & misericordiæ opus exercetis. Aliter autem opera vestra in peccatores non agnosco: unde subdit: Spiritus sanctus qui datus est omnibus sanctis charitate cohærentibus, peccata dimittit, sive corporaliter sese noverint, sive non. Similiter cùm retinentur alicujus peccata, ab eisdem sanctis retinentur, à quibus ille sui cordis pravitate sejungitur, sive corporaliter ignotis, sive non. Secundum hanc Augustini sententiam concorditer ad superiorem. Solvere & retinere peccata, principaliter solius Dei est. Ecclesiæ tamen participativè, per Spiritum sanctum Ecclesiæ datum principaliter dimittentem & retinentem. Et subdit, peccata igitur per Ecclesiam dimittuntur, quando aliquis Ecclesiæ justorum conjungitur. Et per Ecclesiam peccata retinentur, quando à charitate Ecclesiæ excidit. Jungente vel excludente spiritu Dei Ecclesiæ donato, per quem ordo & ministerium & regimen in Ecclesia. Quia quantò participationi spiritus cooperantur, tantò ligant, & solvunt in terris, tantoq; ligatum & solutum in cœlis. Sicut & frater Domini grandi verbo extollit, inquiens: Si quis converterit aliquem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, &c

Ecclesia charitas peccata remittit.

Nota, quos ministri Christi ligant & solvunt.

Spiritus sanctus peccata remittit.

Quomodo per Ecclesiam peccata dicuntur remitti aut teneri.

Quomodo per Ecclesiam peccata dimittantur aut retineantur.

te, & operit multitudinem peccatorum: & quomodo convertet ab errore viæ ſuæ prioris, niſi per ſapientiam rectitudinis viarum Dei? ſed hæc ſapientia, rectitudo & ambulatio, nunquid principaliter à fratre convertente? Nunquid igitur dicendum eum ſalvatorem ſimpliciter ejus quem ab errore revocavit? aut nunquid ipſe illi multam charitatē infudit, quod ſic operiat multitudinem peccatorum? Poteſt autem ſic popularis quiſque, nullam habens ordinis aut juriſdictionis adminiſtrationem, ſolo ſtudio & officio pietatis alium fratrem revocare ab errore. Et poteſt ille revocatus ab errore tanta fervere charitate, quo valdè illi multa peccata remittantur, & multæ pœnæ remittantur. Nunquid igitur pœnarum & peccatorum remiſſio autoritati potiùs quàm charitati tribuenda? & poteſt integerrimus rectitudinem viarum Dei amplecti, quam ille qui convertit ab errore prioris vitæ: nunquid igitur major iſta converſio ab illo? Sed redeo ad magiſtrum, qui eadem diſt. cap. ligant quoq;, expresè vult poteſtatem ſacerdotum eſſe in oſtendendo in facie Eccleſiæ, quemadmodum ſacerdos legalis in lepra, quam neq; aſpergere, neq; aufferre valebat. Unde circa hoc inducit Hieronymum his verbis: Hunc locū quidam non intelligentes, aliquid ſuſcipiunt de ſupercilio Phariſæorum, ut vel innoxios damnare, vel ſolvere noxios poſſe putent, cùm apud Deum nō ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita inquiratur. Et ſubdit ibi magiſter ſic: Apertè hic oſtenditur, quòd non ſequitur Deus judicium Eccleſiæ.

Magiſter de poteſtate ſacerdotum.

Cap. XI.

Quo contra tua de indulgentiis ſententia eſt, quòd quandocunque per confeſſionem ſacramentalem ex attrito fit contritus, ęterna pœna in temporalem divinitùs commutatur, & quamdiu per officium ſacerdotis non taxatur, manet

net fori divini tanta quantum Deus arbitratur. Non igitur charitatis incremento restat pœnæ minoramentū. Sed postquam sacerdotis officio taxata fuerit, Ecclesiastici fori facta est, ut jam deinceps non ultra Deus eam protendat, quàm sacerdos eam taxaverit. Non igitur charitatis incremento tribuendum illud restantis pœnæ minoramentum, & propterea Papam habere super eam potestatem: Formidolosè tamen hanc sententiam asseris, quando subdis: Non quòd ejus arbitrium sit apud Papam, & quicquid in talibus Papa decreverit, ideò in foro divino sic subsistat, quia de illis Papa sic voluit: Neque quòd Papa posset illam pro arbitrio suæ voluntatis remittere. Satis confiteri mihi videris contrariam assertionē valdè esse temerariam. Sed considera, si minus periculosum sit asserere, quod subdis.

Sed quia pro illo Papa potest de thesauro Ecclesiæ satisfacere, & in locum illarum pœnarum per sacerdotem jam taxatarum, ac per hoc jam de foro Ecclesiæ factarum, videlicet de passione Domini, ordinare: hìc jam per tua propria verba quæro, utrum fructus Dominicæ passionis ita sit in arbitrio Papæ, ut quicquid in merito passionis Christi Papa decreverit, ideò in foro divino sic subsistat, ac tantum valeat in foro divino, pro illo, cui Papa decreverit, ac tantum illi mensurandum sit ex acervo passionis Domini, & id ideò, quia Papa sic voluit, ut Papa possit pro libito suæ voluntatis pœnam confessoris taxatione, ut asseris, Ecclesiasticam factam æqua parte passionis Domini donata debitori remittere. Quod si dicas posse, non pro libito, sed jure: quæro quo jure? nisi misericordiæ & justitię, quando Deus pœnitentem misericorditer, & justè misericorditer peccata præterita abolendo, ob justè præsentem charitatem acceptando participem facit magni illius holocausti incensi & thesauri. Sed quomodo, nisi æstimantem tanquam thesaurum? Thesaurus enim nomen æstimationis est, & condignæ æstimationis.

Vtrum fructus Dominicæ passionis sit in arbitrio Papæ.

tionis. Nemo enim illi thesaurum dare potest, qui non æstimat, quacunq; vel Imperiali, vel Papali potestate præditus. Si quis autem Ecclesiæ thesauros dignè æstimat, aut non dignè, Papa de nullo, neq; de seipso certus dijudicare potest. Et si quis illius thesauri dignus æstimator fuerit, consequitur & participabit, sive Papa donet, sive non. Manent igitur tales pœnæ temporales finaliter divino foro taxandæ tantùm, licet pia subditorum obedientia humiliter propter Deum Ecclesiasticæ taxationi sese subdens accepta Deo sit, & nō infructuosa in conspectu Dei. Hæc mea de participatione thesaurorum Ecclesiæ sententia, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Deum trinum & unum, Verbum incarnatum unigenitum Dei factum, primogenitum in multis fratribus, Jesum Nazarenum Regem Judæorum, Jesum Christum filium Dei vivi, morte interveniente testamentum factum, thesaurum Ecclesiæ judico. Thesaurum hunc unusquisq; quanti æstimat, tanti cognoscit & amat. Et quanti cognoscit, æstimat & amat hunc thesaurum, tantò ad imaginem Dei reformatur, & formatur Christus in eo. Solùm enim per hæc tria cognoscendo, scilicet verum Deum, & quem misit Jesum Christum, & Spiritum sanctum: cognoscendo, inquam, & æstimando & amando thesauri illius participes efficimur. Hic ego si thesauri nomine aliter utor, quàm omnes Ecclesiæ doctores thesauri & participationis vocabulis uti debent, non video, te rogo, videre me facito. Ego meam sententiam quò clariùs potui, elucidavi, & non parum gratulor tuum hoc de mea parvitate judicium, quo palàm asseris, me non ad rem, sed voce tantùm communibus doctoribus contradicere. Desideratissimum enim accipio, salvis ubiq; scriptis, cum reliquo doctorum cœtu convenire. Concedunt omnes mecum primò, quòd Papa non posset alicui gratiam conferre. Secundò, quòd neque, si ipsemet, aut alius quispiam in gratia sit, dijudicare

De participatione thesauri Ecclesiæ autoris sententia.

possit.

possit. Tertiò, quòd multò minus præcipere possit, ut quis in gratia sit: permagna verò gratia esset, si egeno efficaciter thesaurum interiori homini donaret, jam enim thesaurum sapientialiter cognosceret, gloriosè & sublimiter æstimaret, ardenter amaret. Et post hæc velut grande objicis inconveniens, non te posse intueri, quomodo ex his mea intentio deduci possit, quasi ego solùm ex his tribus deduxerim. An non ego primi & magni mandati perfectam impletionem & observationem necessariam cum stabili perseverantia usq; in diem Domini pro fundamento positionis posui? An non ego quæcunq; vel de sacramenti usu, vel de ministrorum Ecclesiæ potestate, in S. Scriptura, vel de utrorumq; horum efficientia continentur, ex his duobus mandatis interpretanda & moderanda dixi pendere? Nónne perfectam cordis munditiam ad ingressum regni necessariam dixi? Nónne plenarias indulgentias in perfecta participatione cœlestis Hierusalem in idipsum, & perfectā participationem in perfecto desiderio & amore? Nónne ego ingressum nuptialis thalami in perfecta præparatione & adornatione sponsarum constitui? Nónne ego perfectam impunitatem in perfecta peccatorū immunitate constitui? Nónne propter hæc ego dixi: Papam de nemine meram impunitatem decernere posse, quia neminem potest à peccato reperire immunem in hac vita, etiam quantumlibet verè contritum & confessum, quamdiu non fuerit perfectè contritus, quod neq; discipulus ille quem diligebat Jesus dicere præsumpsit, si, inquiens, dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Ex istis unà cum tribus illis tuis communiter confessis & concessis, puto meam intentionem posse deduci, nisi fortè communes doctores etiam istis uti superioribus integrè confessis, adhuc salvas manere dicant indulgentias. Quòd si ita sentiant, gratulor illis, & meam confiteor non solam, sed & con-

queror & plango imperitiam, qua non video quomodo ſtantibus iſtis decem, curſus iſte indulgentiarum in Eccleſia conſuetus, tam pleno ore, tam audaci aſſertione ſalvus conſiſtere poſſit. Omnes iſtæ res quas allegavi, neceſſe ſunt in tanta ſui perfectione, ut ad eam ſuſpicandam humanus caliget obtutus, & ad earum perfectionem Papa nihil poteſt. Et cùm perfectæ fuerint abſq; ullo Papæ interventu mox omnimodam impunitatem conſequantur.

Cap. XII.

De cauſa conferendi indulgentias.

CUm his quomodo oppoſitum intentionis meæ ſtet rogo me doceas. Signum ſcientis eſt poſſe docere. Dicis plenariam poſſe conferre indulgentiam, ſi cauſa id exigat. Quæro quæ ſit illa cauſa? Num extrinſeca ulla univerſalis Eccleſiæ, ut in bellicis infidelium eruptionibus armis refellendorum? Non puto ſic ſentias propter multa in talibus actibus neceſſariò ferè venalia intervenientia inquinamenta. An fortaſſis dirutarum ſacrarum ædium innovatio aut reſtauratio? Neque hoc puto ſentias. Neque etiam ſi oportuerit famatæ religionis monaſterium aliquod extruendum, omnes etiam facultates ſuas in horum ſuſtentationẽ tribuentibus per hoc idoneam cauſam ſubeſſe puto, ut mox evolent. Et valde attendendum verbũ tuum, ſi cauſa id exigat, quia ſi cauſa id exigat, Papa ſi non donet, num propterea pia illa cauſa id exigens exacto ſuo jure carebit? Intrinſeca fortaſſis igitur cauſa aliqua id exiget. Sed quæcunque illa fuerit extra cardinem perfectæ charitatis, & non ex ea pendeat, & non perfectè cum ea cohæreat, fideliter credere, piè confiteri me dico, non poſſe per eam cuiquam plenariam indulgentiam conferre, etiam quantumcunq; aut qualiſcunq; fuerit.

Cap.

CAP. XIII.

An verè contriti per indulgentias mox evolent.

DIcis de verè contritis carne solutis, quòd mox evolent, si fuerint Papalibus indulgentiis muniti. Miror ego doctissimum te virum, nòn meminisse terribilem illum ignem rationabilem, quia igneam legem in manu Dei inscribendam cordibus nostris, uniuscujusq; opus probaturum. Rationabilem planè ignem secundum Augustinum *in de verbis Domini, serm. 112.* rationabili disciplina cujusque opus probantem, lignum, foenum, stipulam exurentem, videlicet omnem malum amorem, *26. cap. lib. 21. de civ. Dei.* Manifestè enim & confessè illud, de quo Paulus loquitur, spirituale fundamentum est, neq; legitimè superædificata, argentū, aurum, lapides pretiosi, corporalia sunt. Igitur neq; quæ contra legem spiritualis ædificii superædificata, lignum, fœnum, stipula, corporalia erunt, sed spiritualia: quod si septem hæc spiritualia sunt, qua dementia tandem insaniunt, ut octavum videlicet ignem, uniuscujusq; hominis opera interioris probaturum, opus corporale somnient. Nunquid ignis corporalis dijudicare aut probare potest opera interioris hominis unico illi fundamento superædificato, quæ cognoscere non potest? Malos illos amores imperfectam adhuc in carne solutis charitatem puto: quam S. Bernhardus in libello suo, de diligendo Deum, nondum sese ad perfectum confitetur assecutum, ut scilicet sese non nisi propter Deum diligeret. Puto igitur in carne solutis oportere crescere charitatem in eam distantiam, dissimilitudinem & perfectionem, qua distant cœli à terra, & qua lumen lucernę ad perfectum diem. Juxta illud: Justorum semita quasi lux crescens in perfectum diem. Et propter hanc inæqualitatem, puto, quòd Dominus Jesus regnum cœlorum grano sinapis, globo cœli commensuravit. Id etiam contestatus fuerit, quando de Johanne Baptista dixit: Qui minor

De ligno, fœno, & stipula secundum Apostolum.

In carne solutis oportere crescere charitatem.

est in regno cœlorum, illo major sit. Et quantò major? Certè quantò meridies lumine lucernæ lucentior. Confiteor ego tecum carne solutos, longè majore charitate flagrantes, quàm hic Johannes Baptista fervebat, quantò lucentiore sapientia illustrati, sub magno illo Pastore & Episcopo animarum suarum, quantò alacriore judicio in laudem & gloriam Dei sub evidenti tonitruo venientis & pulsantis, & confestim recepti, tantò etiam ferventiore igne charitatis. Hic Johannes licet præ multis etiam sanctissimis viris, lucerna tamen tantùm fuit. Omnes in gratia morientes, priusquàm carne solvantur, in lumine lucernæ vigilantes, expectantes Dominum parati suscipere cum expectatione, ubi pulsantem audiunt, & confestim aperientes suscipiunt magno desiderio expectatum, evacuant lumen lucernæ in matutinum sydus, orientis eis luciferi lumine commutantes. Et illius felici ducatu & beneficio, quo dignè crescere possint, orant cum Simeone, ut carne solvantur, & cum latrone in gratiam recepto, in paradisum restituantur. Illic ipse, *ut Ezechielis Eulogio 34.* promittit: Ipse requirit oves suas, & visitat eas, sicut pastor visitat gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum pridem dissipatarum, sic visitabit oves suas, & liberabit eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant, in die nubis & caliginis educet eas de populis, congregabit eas de terris, & inducet eas in terram suam, & pascet eas in montibus Israël, in rivis & cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascet eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Ipse Dominus Jesus pastor earum pascet oves suas, & accumbere faciet. Quod sanum in eis fovebit, & quod minus, curabit, requirens quod perierat, reducens quod abjectum, alligans quod confractum, & quod infirmum consolidans, quod pingue & forte custodiens, pascens

De purgatione animarum post hanc vitam.

scens

ſcens eas in judicio. Idem ergo paſtor & judex, & David fidelis paſtor ſecundum cor Domini, omnem Dei voluntatē faciens, in ovibus gregis Dei paſcet eos, quouſq; auroram evacuet aſpirans dies, quam & aſpirantem diem Sol oriens evacuet. Et hic jam primò paſtor David regnum tradet Deo, poſtremò perfectiſſimè traditurus poſt judicium univerſum. Hanc ſeriem ducatus animarum à lumine lucernæ præſentis exilii, quo puſilla ſapientia fidei noſtræ ſicut granum ſinapis eſt, & velut parvum centrum, quod creſcere oportet in illam cœleſtis globi immenſitatem univerſum proceſſum, & felix animarum incrementum uſq; ad orientem Solem, purgationem puto, & in hac purgatione non pœnam, quæ ad modicum utilis eſt, ſed ad omnia valentem pietatem, & illam pietatem per ſe purgatricem. Habet nihilominus illa pietas, imò flagrans amor dilatus, languorem & pœnam ſuam, habet etiā felicem conſolationem. Conſolatur præſentia paſtoris & ſalvatoris. Verùm quia doctor & Evangeliſta eſt, miſſus à patre, docens amorē, quo ipſe patrem amavit & amat, & illum ſuum amorem imitari. Inardeſcunt igitur illic amore, ſed quia nondum dignè amant, adhuc differuntur, & affligitur anima eorum, hæc afflictio non dolor eſt, ſed mœror eſt ſecundum Deum, & ſicut ex charitate Dei, ita efficax ut charitatis augmentum impetret. Et quantò mœrentior, tantò ſanctior, tantoq; impetrantior. Neq; propterea Paradiſi felicitatem puto minorem, quia loci illius felicem quendam à principio incolatum, non beatam ſempiterno manſionem manſuro puto. Credo enim Adæ & Evæ primum & magnum in lege mandatum fuiſſe, ſicut nobis & angelis officioſum, non otioſum. Legitimè igitur ſaltem contra ſeipſos certaturos, legitimum ergo de ſe Deo pacificum ſacrificium, holocauſtum, & incenſum oblaturos, quod niſi parati utrumq;, facere ſcilicet & pati, non integrè offerunt. Felix ille incolatus,

Purgatio animarum qualis.

Mœror animarum, quia non dignè amant.

Mœror ex charitate impetrat augmentum charitatis.

non status beatus progenitoribus nostris promittebatur. Imò quo si perstitissent, secundo vento, prospero cursu, magnis incrementis consummandæ charitatis, in permanentem civitatem habitationis cōtendissent. Semper etiam uti tunc ita nunc oportebit purgari per lumē surgentis auroræ & aspirantis diei, donec perfecta lucente Dei sapientia, perfecta Dei laude fulgentes, & perfecta charitate Dei ardentes, digni Deo videndo judicentur, non suo vel cujusq; hominis judicio, sed assumentis tantùm Dei arbitrio. Et sic erit festivus ille dies nuptialis, & beatus thalami ingressus, ad quem nulla non perfecto amore flagrans, immatura adolescentula, menstruata concubina digna admittitur. Facilius hæc, venerabilissime Magister, intelligunt, quibus nō ignota sententia nominalium, de gradus ad gradum intentione, quemadmodum partis ad partem compositi, in extensione compositi. Ponunt enim compositionem gradus ad gradum in intensione, unde volunt intensius omne compositum esse, quemadmodum Peripatetici omnes, componi continuum additione partis ad partem extensione. Itaque facilè sit intellectu, quod necessarium est traditu, oportere videlicet nos crescere in charitate non excidente, sed manente, & hîc & in futuro. Sed pergrande necesse est incrementum fieri, antequam ex grano sinapis illa cœlestis globi immensitas crescat, antequam ex parvulo lucernæ lumine, clarum illud meridianum lumen erumpat. Sed quantumlibet crescant, quamdiu aliquis in eis est amor sui, quo se propter Deum non amant, malus amor est, & non charitate perfectus, quia perfecta charitas non quærit quæ sua sunt. Neq; oportet hunc sui amorem carni tribuere. Talis enim amor sui maximus reperitur in eo, qui est Rex super omnes filios superbiæ, qui tamen carnem & sanguinem non habet. Hic amor sui quantumlibet minimus, malus tamen per Augustinum, ubi suprà, nominatur, quia maculam in

De augmento charitatis post hanc vitam.

Amor sui etiā minimus, malus est, & maculat animam.

in veste nuptiali constituit, & coronam ejus obnubilat, similitudinem & imaginem Dei corrumpit: quid enim Deo dissimilius, quàm aliud à Deo, non propter Deum amare, cùm Deus nihil, nisi propter se amet? Per has maculas, per hos nævos, propter hanc dissimilitudinem, ego regni illius decorem, thalami nitorem, templi sanctitatem pollui dixi, quando passim quisq; cum ea vera confessione, ea vera contritione, qua hîc in gratia recipimur, ita polluti & menstruati, transmittente vel magis intrudente Papa, thalamo vel templo importunus injiceretur. Neq; putat Aug. mox deposita carne omnes malos amores unà depositos, omnemq; simul charitatis imperfectionem transisse ad perfectum. Estq; in eandem sententiam Guilhelmus Parisiensis, *ap. 100. 1. part.* & id multis argumentis ad longum. Unde istos malos amores arbitror peccata illa, quæ in futuro seculo remittentur, ut etiam illic (donec perfectæ justitiæ Sol eis oriatur) dicere non possint sese peccatum non habere. Contrarium verò, per quem locum regulæ fidei stabilire possint, nondum video.

Augustinus & Guilhelmus Parisiensis, de purgatione post hanc vitam.

Quæ peccata in futuro seculo remittantur.

Unde valdè miror communem doctorum scholæ nostræ inadvertentiam, qui non veterum primævé Ecclesiæ autoritate moventur, purgatorium ignem à punitorio distinguentium. Gregorius Nazianzenus purgatorium ignem dicit, quem Dominus Jesus misit in terram, volens ut arderet. Et istum, quia sordes rationales imperfectæ sapientiæ, imperfecti de Deo judicii, & imperfectæ justitiæ purgare debet, rationabilem esse oportebit. Quod etiam Paulus innuit, quando dicit, ignem illum probaturum, qui si probat, utiq; cognoscit, quale uniuscujusq; opus fuerit. Punitorium verò ignem dicit illum, qui præparatus Diabolo & angelis ejus. Multum enim insolens, & nova verborum licentia, ut purgare dicamus illum, qui nihil impurum aufert, nisi fortassis nova impositione sanare dicamus, qui nullam

Ignis purgatorius secundum Nazianzenum.

Ignis punitorius.

nullam præcedentem vel impendentem ægritudinem tollit. Violentiam hoc facere nominibus eſt, ubi activorũ habituum nomina prohibentur, oppoſitarum, privationum commemoratione vel menſionẽ definiri. Non apud Latinos tantùm purgatorius dicitur, ſed & apud Græcos καθαρτικὸν πῦρ dicitur. Tropo utrumq; dicitur, ignis videlicet & purgatorius. Tropus autẽ omnis, in ſimilitudine fundatur. Similitudo autem rationabilem intelligentiam fundat, ut qui illam repellit, naturæ bellum inferat.

Et ſubdis, animam quæ lucrata eſt plenariam indulgentiam, dummodò in eo ſtatu moriatur, &c. Quæro in quo ſtatu? an in eo ſtatu, quo verè contritus & confeſſus, verè in gratiam reſtitutus indulgentias lucratus eſt? Quæro, ſi inter lucrandum venialia ſimul habeat, utrum plenarias indulgentias lucratur? Si ſic, ergo cum ligno, fœno, ſtipula ſuperædificatis, abſq; probante igne tranſibit, contra legem Apoſtoli. Si dicas, quòd non, nullus ergo plenarias indulgentias lucrabitur in via, quia in multis offendimus omnes. Et ſi dixerimus etiam tunc, videlicet inter pœnitendum, quia peccatum non habemus, ſeducimus noſmetipſos, & veritas in nobis non eſt, quia nemo noſtrum implet perfectè mandatum primum, quantumlibet ſincerè confitens, aut quantumlibet ſeſe dijudicandas, communicet. Et ſemper orare præcipimur, dimitte nobis debita noſtra. Semper ergo debitores manemus & ſumus, quæ nunquam perfectè dimittentur, niſi quando perfectè diligemus.

Nemo implet primum mandatum.

Dicis dummodò in eo ſtatu moriatur. Quæro iterum, in quo ſtatu? An in eo ſtatu imperfectæ charitatis, & multorum debitorum & venialium, quando plenariam indulgentiam lucrabatur? Imò magis quando plenariam indulgentiam falſo errore ſeductus, quia in imperfecta charitate lucrari credebat. Tu & benè de ſequentibus venialibus, juſtum ſcrupulum facis,

adeò,

adeò, ut præcedentes indulgentias annihilet. Quare de venialibus inter lucrandum eas concomitantibus, non parilem scrupulum facis? Præsentia igitur irritam facient magis quàm futura. Quis in confessione de omnibus venialibus dignè confessus & contritus non dico, sed vel memor fuit? & si memor, quid confert, quamdiu non perfecto zelo execratur? & quomodo potest perfectè zelare, qui nondum perfectè amat? quomodo perfecta charitate fuit, qui postea recidivat? quis medio illo tempore inter actum sacramentalem & indulgentialem, non offendit venialiter? Sed propter hunc scrupulum quidam quo stabilirent, & non irritas concedere cogerentur, dicebant: Papam etiam culpam venialem posse remittere, quia verè nisi hoc possit, cùm non possit quenquam reperire mundum à veniali, non poterit cuiquam plenariam donare indulgentiam. Sed quòd venialia dimittere nō possit, satis patet, quia qualiacunq; peccata nemo dimittit, nisi contrarias virtutes efficaciter infundat, sicut nemo cœcitatem, & cœcitatis incommoda tollit, nisi qui visum, & visus perfectionem donat. Non enim dimittuntur peccata multa, nisi multum diligenti. Unde valde hoc loco conguit quæstio, qua quidem dubitant, utrum recta fuerit illa Eugenii IV. sollicitudo & sollicita pietas, volentis omnes tales plenarias indulgentias in extremo articulo mortis, in gratia decedentium, pro ultimo tantùm instanti, quo postea non venialiter peccarent, intelligendas ac judicandas, ut propter hanc sequentium venialium obstantiam non impediantur à fructu indulgentiarum. Tu quoque propter eandem sequentium obstantiam venialium vix unam de centum millibus credis evolare, sed cur igitur non hanc veritatē publicè prædicant?

Nemo dimittit peccata, nisi cōtrarias virtutes infundat.

Eugenii sollicitudo volentis indulgentias in articulo mortis valere.

Neq; etiam mihi placet, quòd per surreptionem incuriæ aut oblivionis, inconfessa peccata punienda putas: quasi inconfessa dimissa non sint, quando contraria charitas, contrario of-

Confessio non tollit peccata, sed charitas.

ficio acceptum Deo facit. Nulla enim confessio tollit, quamdiu non charitate officiosum restituit. Præterea ex hac tua positione sequeretur, ea inconfessa eidem non solùm ad pœnam, sed etiam ad culpam in futuro seculo imputanda remanere, unde liberaliter facis, confitendo, quòd manentia venialia nemo potest dimittere. Magis autem liberaliter facis, cùm subdis, si sit plenè contritus, quàm si mecũ sentiens, posse aliquẽ verè contritum esse, qui non sit plenè contritus. Et si plenè contritum Papa vel schola dicat per plenariam remissionem confestim evolare, nihil ego miror. Mirabor, si Papa talem faciet evolare.

Probè plurimum facis, communem omnium sententiam explicando, quòd secundum omnes, tanta possit esse contritio, quòd culpam omnem & pœnam deleat. Sed hic à te quæro tuam sententiã, quanta erit illa contritio? an illa superior Gersonis, prorsus parata ad faciendum omne bonum, & parata ad patiendum omne malum? Hanc ille cõtritionem dixit esse certissimum signum indulgentiarum. An ista vulgaris contritio languida, infirma, imbecillis ad utrumq;, debilis ad currendum viam mandatorum Dei, tenera, delicata, refuga pati pro nomine Jesu. Parce mihi si plurimos tales ego suspicer, qualem ego meipsum in pœnitentia reperio. Talibus ego scio, multa opus remissione. Imò non multa, sed plenaria remissione. Verùm etiam scio non eos plenariam remissionem consecuturos, quamdiu non plenariè amant, ut ad utrumq; Gersonis perfectè parati sint. Quicunq; igitur propter imperfectam talem contritionem opus habet indulgentiis, ille adhuc habet imperfectam contritionem. Imperfecta contritio nulla nisi ex imperfecta charitate. De adulto etiam baptizato, quòd perfectam remissionem consequatur, & id regulariter, non tecum sentio, qui licet regulariter, quando non ponit obicem gratiæ Dei, verè in Spiritu sancto vivificatur, ut etiam criminoso multum dimittantur

De perfecta & languida contritione, & de certissimo signo indulgentiarũ.

De remissione peccatorum in baptismo quomodo sit intelligenda.

tantur peccata multa, si diligat multum. Sed si inter baptizandum & post parum diligat, parvulum adhuc in Christo, & lactis opus habentem judico. Qui enim inter baptizandum & venialiter peccat, verè venialiter peccat, & verè baptizatur, & cùm verè venialiter peccat, verè lignum, fœnum, stipulam superædificat. Talis igitur non auro, argento, lapidibus pretiosis puris regni solium ædificat, quomodo ergo nō quasi per ignem transiturus, etiam si à baptismo mox expiret? Quomodo item imperfecta sapientia, imperfectum judicium, imperfecta charitas, quæ regulanter imperfectè dantur in baptismo, non imperfectum regnum constituent? Quomodo in his tribus imaginis partibus imperfectis, perfectus Christus, perfectè formatus apparebit? Sanè si non illic aliter diliget, quàm istic dilexit in baptismo, languendi amoris regnum erit, cœcutiente sapientia, titubante judicio, sordida justitia, præparatum. Paulus eos lactis opus habere dicit, nondum capaces solidorum ciborum. Petrus monet, velut modò genitos infantes rationabile lac concupiscere. Paulus hæredem quanto tempore parvulus est, nihil differre à servo, sed oportere sub tutoribus & actoribus esse, usq; ad tempus à patre definitum. Et quod illud tempus à patre definitum, nisi tempus perfectæ conformitatis ad exemplar in monte monstratum? Christus enim passus pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quòd enim passus pro nobis, non proveniet nobis, nisi relicto nobis exemplo instituamur, animemur & incendamur ad sequendum, & perfectè sequendum vestigia ejus. Quod cùm perfectè expleverimus, veniet tempus definitum à patre. Nunquid igitur extra definitam legem patris ante tempus, contra testamentum, infantilis illa sapientia mox regni illius civis aptus æstimabitur? Indignum puto, ut in mensa illa, in regno patris, parvulorum more & insipientia, lacte quis opus habeat. Video & ego in hoc

Quomodo etiā baptizati parvuli sint in Christo lacte opus habentes.

Epiſtolæ meæ fine, mihi quoq; papirum deficere, quare & ego finem facio, non uti tu neceſſariis amicorum occupationibus diſtractus: ſed quem ferè totum ignavia premit, niſi quantum tui deſiderium urget ſimul, ac trahit. Unde etiam, & ſi non pro deſiderio, tamen pro ſoliti torporis metro, pluſquàm celeriter, tuis juſſibus reſcripſi, meo captu ad punctum contradictoris, deſignans, quibus vel convenimus, vel diſſentimus. Rogans ego te & ſupplicans, ut velut ad ſignum ſagittariorum rationibus & auctoritatibus concertes, quo ſic tandem veritas in hac aſſertione difficillima, facilius, uti poſtulas, inveniatur. Fateor, non ſunt otia tibi quæ mihi, ſed & conqueror, quòd etiam torpenti mihi non ea eſt acrimonia, quæ tibi: unde etiam non mihi fructuoſum negotium uti tibi. Unum hoc tantùm à te, venerandiſſime Dn. Decane, Magiſter noſter, exigo, promiſſis tuis robur inſit, ut poſthac haud ſcribere poſtponas, utq; quamprimùm ſcripta mea receperis, reſcribere non pigriteris. Quin tertio jam pollicitus meis ipſe ſcriptis vel parum dictando reſpondeas. Fateor importunus urgeo, ſi tamen tua tibi verba cenſeas importuna. Atq; utinam ſic, ô venerabiliſſime atq; dulciſſime Magiſter noſter quàm feliciſſimè valeas. Ex Groning. 13. Calen. Octobris, per tuum Weſſelum.

WESSELVS GRONINGENSIS HONORABILI ET religioſæ ſorori virgini Gertrudi Reyneri ſanctimoniali, in Claris aquis, Salutem in Ieſu vero ſalvatore.

INquiris de ſpiritu illo, quo de multa in populo fabula eſt. Ejuſcemodi aſſertiones non magnoperè gravibus auditoribus acceptandæ, plurima ſcribuntur, & referuntur de talibus Evangelio & ſacro Canoni aliena. Quare neq; ſi angelus de cœlo veniret, & renunciaret, acceptanda contra id, quod fixè traditum

tum eſt. Legiſti puto de doctore illo Pariſienſi Theologo reverſo ab inferis, qui cùm interrogaretur, de magnifica ſua quondam ſcientia, quid illi nunc de illa reſtaret? Reſpondit nihil ſe ſcire, niſi pœnam. Hæc & hujuſmodi ſimilia ſcripta, licet per illum illic etiam ſacri Canonis adducto verbo videantur confirmari: allegavit enim verbum Salomonis, videlicet, non eſt ratio, non ſcientia, nõ opes, apud inferos, &c. ut ſic videatur concludere, nullam illic eſſe rationaliter certã cognitionem. Quod manifeſtè contra Theologicam veritatem, de ſanctiſſima clariſſima eorum cognitione, dignoſcitur. Crebrò enim ſcriptura dicit viſuros & ſcituros impios, quoniam ipſe Deus eſt. Item Dominus Jeſus ad judicium veniens omnium verborum otioſorum coram omnibus, ut clarum judicium in meridie, rationem accepturus eſt. Nec minus Apoſtolus, datum Domino Jeſu nomen ſuper omne nomen, ut etiam genu infernorum flectatur in nomine Jeſu, ſuper omne nomen. Habent igitur in inferno nomen omne de reliquis omnibus, & ſuper omnia reliqua nomen Jeſu, & quod illis acerbiſſimum eſt, adeò exaltatum nomen Jeſu, ut velut meridiana luce clariùs ſciant, & confiteri cogantur Dominum Jeſum, quem omnes illic acerrimè odiunt & invident confiteri, quia in gloria Dei patris eſt. Niſi igitur grandi grano ſalis temperentur & gloſſentur pleræq; tales revelationes & viſiones, pleraſq; talium periculoſas & illuſorias æſtimo. Quid enim abditæ ſapientiæ, quo fixè apertam pietatem ac charitatem ædificaret, uſquam detexit? popularem pietatem eleemoſynas, peregrinationes, jejunia, orationes laudat. Laudat etiam hæc ſacer Canon, ſed adeò nobis inveteravit Evangeliũ, ut magis credamus alicui ex mortuis regreſſo & nuncianti, quàm Prophetis & Moſi, imò magis quàm Apoſtolis & Evangeliſtis. Hæc fuit ſententia & prudentia divitis epulonis ſepulti apud inferos, volentis credituros vivos potiùs, ſi quis ex

mortuis ierit ac testificetur. Quo contra manifestè dicit Abraham: Quòd si Mosi & Prophetis non credunt, neq; si quis ex mortuis ierit, credent. Habes igitur non meam, sed Abrahæ, sed Domini Jesu de talibus expressam sententiam. Plerumq; leves curiosæ prurientes aures hujuscemodi novitatibus magis incitantur, quàm excitentur Evangelica veritate, vagæ, otiosæ, garrulæ magis quàm operosæ aut fructuosæ. Non propter hæc pias revelationes ac visiones respuo, quæ veritati consonæ, pietatem ædificant: sic tamen, ut non in eis cardo vel anchora credendi constituatur. Sed, sicut alia extra Canonem scripta, legantur ad ædificationem. In plerisq; enim talibus oportet non ignorare astutias angeli Sathanæ, sese in angelum lucis transfigurantis. Unde valdè suspectus gravibus viris esse debet, quia sæpè multa vera complectitur, quo falsum unum subintexat. Hoc mihi nunc apud vos ejus fuisse negotium videtur, quando pro redemptione animarum pretiosa in Domino morte à corpore peccati solutarum, quæ jam in die venienti filio hominis, velut sponso, aperuerunt, receperunt amanter, desponsarunt fideliter, adhærent ardenter, adhuc circa nostræ vilitatis infirma languere ac detineri astruunt.

De studio Logicæ non inficior, quod ad scholasticam exercitationem conferat, sed ad monasticæ solitudinis, ac celsitudinis consolationem quid afferat non video, præsertim virginibus tui similibus. Datum verè toti sexui vestro magis desiderio flagrare, quàm arbitrio ac judicio ferri. Unde summam vobis Logicam puto in oratione constitutam, non enim vana vobis pollicitatione promissum, petite & accipietis. Priusquàm tu Logicam discas, fideli oratione impetrabis à Magistro veritatis, ut omnem tibi suggerat necessariam veritatem. Simplicem columbæ oculum non expedit turbari erga plurima. Segniùs in finem properant, qui curiosiùs ea quæ viam circumstant, considerant.

derant. Orando amorem impetra, & omnem Logicæ, omnem intelligentiæ, omnem ſapientiæ fructum apprehendiſti. Domino Jeſu ſummo & inæſtimabili amatori deſponſatas virgines caſtas, maculam ac rugam non habentes, aliquando exhibendas, nullam Logicam aliam quærere oportet, quàm fidelem amorem, qui quia paucis in hac vita datur, imò pauciſſimis: ideò nullam utiliorem, omnibus illas veras nuptias anhelantibus, Logicam puto, quam in foraminibus petræ gemere cum columba, crebris ſingultibus, pias illas magni amatoris aures pulſare, quo per ſacrificium ſui amoris, amore ſuo dignas faciat, quas non amantes, cùm venerit, velut anathema, excludet. Amor Jeſu annulus eſt nuptialis, quo ſine thalamo indigna cenſebitur omnis deſponſata. Hoc meditari, hoc æſtimari, hoc anhelari, eſurire, ſitire, intimis deſideriis petere, puto ſummam nobis ad lumen lucernæ poſſibile, Logicam ſapientiam fore. Et ſatis tropus alludit: quia ſicut ſcholaſtici per Logicam accedunt ad Philoſophiam, ſic per orationes & gemitus, & pia ſuſpiria, deſponſatis omnibus, recta, prona, certa via in ſummam ſapientiam gloriæ nuptialis. Valdè placent mihi literalium ſtudiorum tuorum profectus. Propterea tantum quod expeditione video ſanctis nuptiis tuis, quarum ſingula nunc ſuſpiria, velut ſcintillæ, poſtea in latitudine mentis, in ſphæras igniti amoris, & ingentes globos convertentur. Nemo vivere cenſendus, qui non amat, quia tepor quaſi ſopor mortis imago eſt, & ſolùm integriter vivit, qui integriter amat, ſolusq; beatus, qui voti compos dignè amat. Feſtinus portitor Epiſtolam breviare cogit. Cordialiſſimæ quæſo ſanctæ matri Elithiæ, me facias commendatum. Vale.

EX EPISTOLA DOMINI IOHANNIS AMSTELredam. ad Bernhardum Meppis, Procuratorem Zilæ, de ſuffragiis pro vivis & defunctis: & de celebrationibus miſſarum, ſecundum D. Weſſelum.

Literæ tuæ, mi Bernharde amantiſſime, non minimum mihi gaudium pepererunt, &c. Ad ea verò quę nunc ſcribis, breviter reſpondeo. Quæris quid ſentiam de ſuffragiis, quæ pro mortuis fiunt. Scias me indubitatò tenere & credere, ſalubre eſſe pro illis orare, non ſolùm oranti, ſed & ei pro quo oratur, ſi tamen in gratia deceſſit. Unde & Apoſtoli baptizabant pro mortuis. Quo baptiſmate, niſi precum & inenarrabilium gemituum? Et mirum valdè, ſi Magiſter noſter Weſſelus tibi contrarium dixerit. Mihi enim hæc ita interpretatus eſt. Scripſi ei ante obitũ ſuum cumulatiſſimè de his. Deniq; ut plenius ſcias, quid ſuper hac re nos docuerit, ſubjectas propoſitiones iterum atq; iterum legas, quas & ego prima lectione non intellexi.

1. *Suffragium eſt egeſtatis indigentiæ & infirmitatis auxiliũ, interceſſione divinitùs impetratum.*

2. *Omnium ſuffragiorum potiſſimum, eſt paſſio Domini Ieſu.*

3. *Suffragium eſt primordium ab impetrante, licet principaliter à concedente, effectualiter in ſuſcipiente & ſuffragato.*

4. *Suffragia ſunt in arbitrio concedentis.*

5. *In arbitrio interceſſoris eſt, pro quo velit intercedere.*

6. *Non eſt in arbitrio interceſſoris quantum velit impetrare.*

7. *Vt interceſſio, ſuffragium fiat parvum aut grande, non eſt in arbitrio intercedentis.*

8. *Non eſt in opere operato intercedentis, ut opus ejus cuiquam ſuffragetur.*

9. *Opus operatum per opus operantis poteſt fieri ſuffragium, ſed id extrinſeca tantum denominatione.*

10. Nul-

10. *Nullum suffragium fit suffragium intrinseca denominatione, absq; interioris hominis mutatione, incremento & profectu.*

11. *Nullum suffragium confert absq; opere operantis ipsius suffragati per dilectionem proficientis.*

12. *Opera operata, absq; operibus operantium, non suffragantur cuiquam.*

Hæc, mi Bernharde, si quadrant his quæ tibi scripsit, sanum mihi videntur habere intellectũ. Nam cùm dicat D. Wesselus, non velle pro se fieri orationes, nisi duntaxat, ut claro lumine illucescentis diei primæ, scilicet veritatis, irradietur, quid dicit, nisi ut tua suffragia eò tendant, quò spiritus veritatis interiorem ejus hominẽ spiritualis luminis incremento sublimet, ut tandem mundus corde, sanos oculos in fontẽ æterni splendoris tollere possit. Et quia operæ pretium judico his considerationibus animum dare, pergam latiùs eas ponere:

13. *Missa sine opere operantis, nulli fit suffragium.*

14. *Missa sine omni opere debito celebrantis, fit suffragium audienti per opus suum.*

15. *Potest missa uni esse suffragium, quæ alteri est in judicium.*

16. *Missa ad judicium est omni non debito affectu circa eam, sive audiat, sive non audiat.*

17. *Cuiq; missa pro tanto suffragiũ est, quanto dignè afficitur.*

18. *Missa suffragatur, per passionem, sed solùm compatientibus pro mensura compassionis.*

29. *Missa nihil prodest, nihil compatienti.*

20. *Perfectè compatientibus in purgatorio, missarum celebratio non est necessaria, patet, quia perfectè compati, est perfectè amare, perfectè autem amans, solio dignior est, quàm purgatorio.*

21. *Sive celebretur, sive non celebretur, animæ in purgatorio quantò compatiendo profecerint, tantò conregnabunt.*

22. *Missa nihil nisi Christus passus, & commemorantis compassio.*

23. *Aliena compaſſio, puta celebrantis, non pro menſura hoſtiæ, non pro menſura compaſſionis, non pro menſura devotæ interceſſionis arbitrariè ſuffragatur exiſtentibus in purgatorio.*

24. *Solùm pro menſura exauditionis, eſt arbitraria menſura impetrationis, & menſura impetrationis, eſt pro menſura participationis, & menſura participationis, eſt pro menſura acceptæ compaſſionis.*

25. *Menſura gradualis piorum ſuffragiorum in manu ſolius Dei eſt, & mediatoris Domini Ieſu.*

Orationes pro vivis & defunctis, concluſio.

Ex omnibus iſtis concluditur, quòd oratio tam pro vivis quàm defunctis pro concluſione habebit: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Dictum eſt ſuperiùs, quòd miſſa perfectè compatientibus, non eſt neceſſaria. Hoc ſi benè intelligo, non de omni neceſſitate dicitur, ſed de neceſſitate, quæ eſt per modum ſuffragii, id eſt, quantum per ſuffragia egeſtas & indigentia de medio tollitur. Nam, niſi celebraretur, hoc eſt, niſi caro agni manducaretur in cœlo, non viveretur in cœlo ea vita, qua Deo vivunt. Ego, inquit, diſpono vobis menſam, ut edatis ſuper menſam meam. Videtur mihi decima propoſitio, ex his quæ ex ea colliguntur, conſuetudini Eccleſiæ valdè reſpondere. Quotidie enim dicimus: Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Quæ eſt lux perpetua, niſi ſpiritus veritatis, aut ſeptem oculi agni, qui ſunt ſeptem ſpiritus miſſi in omnem hominem, quæ lux quantum creſcit in eis, tantum in eis Jeſum clarificat, addo & patrem. Quòd ſi hæc lux patrem clarificat, planum eſt, quòd & fructu divites facit, juxta illud: In hoc clarificatus eſt pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Lux ergo perpetua, cùm ad orationes ſuffragantis ſuffragato confertur, profectò decima propoſitio impletur. Et quia puto chiaſmum eſſe inter æternã requiem & perpetuam lucem, ita ut impoſſibile ſit lucem perpetuam illis conferri (de potenttia dico ordinata) ſine requie æterna. Non ab re perſuadeo

deo mihi D. noſtrum Weſſelum dixiſſe: Non velle pro ſe orationes fieri, niſi duntaxat, ut Sole juſtitiæ illuminaretur. Sine illuminatione enim veri luminis, requies quæcunq; ſit, non illi in precio erat, &c.

EPISTOLA D. WESSELI AD HONORABILEM Dn. Magiſtrum Ludolphum de Veno, Inclytæ Trajectenſis Eccleſiæ Decanum digniſſimum, & utriuſq; Iuris Doctorem.

NOn jam ex eo, quod inter nos pacto, ſed urente ferè incendio, non ſcribere, ſed interpellare & conſulere urgeor, non modò Juriſconſultum & fidum amicum, verùm etiam, quod in conſiliis ſingulariter ſapere facit, ſimilibus quibus agitari vereor, imò verius eiſdem ineunte juventute caſibus & conflictionibus agitatum. Audiſti periculum venerabilis illius viri D. Joannis de Weſſalia. Cujus tametſi, ut crebrò ex me audiſti, exorbitantes illæ & populo ſcandaloſæ abſurditates diſpliceant, eruditio tamen & peracre ingenium hujuſmodi eſt, ut virum illum nequeam non amare, aut caſibus ejus non condolere. O quantum profuiſſet illi, noſtro more, ut ſæpè inter nos Pariſiis recenſui, ante tum realium, tum formalium exercitatum ſtudia tranſegiſſe, & ita demum non incautum, non inopinum, ſed velut ex arce & ſpecula futuros inſultos prævidiſſe. Accipio ex fidiſſimis meis illum convictum ad ignem. Quod tametſi ab re dictum ſit, quoniam qui diſpoſitione convincitur, errorem recognoſcit, quo fit ut vel pertinax non fuerit, aut ſi fuerit, eſſe deſiſtat. Et ita quomodo ad ignem convictus ſit, non tam demiror, quàm ſubſannandum æſtimem, niſi fortè convictum dicant, quem etiam non fatentem, & fortaſſis protervè & pertinaciter, aut fortaſſis (ut peccatum amiciſſimi viri attenuem) errore aliquo defendentem, judices ſacrorum Ca-

Periculum D. Ioannis VVeſſaliæ.

nonum regulis condemnarunt. Esto utcunq;. Doleo tamen casum viri, & talis viri. Sæpè ego veritus in eo inconsideratam & temerariam ejus locutionem, quæ licet scholasticæ subtilitatis, & fortassis nonnunquam etiam aliquid Catholicæ veritatis haberet, ea tamẽ in vulgus indoctum, & non capacem plebem proferri, cum gravi simplicium scandalo, prorsus odiosum. Accipio præterea ex eisdem, Inquisitorem mox, ut causam dicti viri absolverit, ad me usq; descensurum ad inquirendum. In qua re tametsi causæ nihil verear, inquietudinem tamen, suspicionem, impensas, labores sustinere oportebit, & calumniam, præsertim Abbatis de veteri monte, doctorum nonnullorum Coloniensium, quorum (experto loquor) ex tuis casibus facilè odia, quin & invidiam conjectas. Horum itaque vexationes, si quando intentent, quo ficciore vado, & faciliore pede transire detur, tuum in expectando & subeundo consilium expecto. Et tamẽ, ut quàm celerrimè tuos in simili negotio eventus & consilia rescribas, expecto, ne inermem & forensium periculorum inscium subitus casus conturbet. Age celer rescribas, ut abundè reficias sitientem, non minus tuorum consiliorum prudentia, quàm causæ meæ justitia confidentem. Nihilq; pro fidei puritate subeundum vereor, tantum absit calumnia. Hæc, ut fidenter tibi detexi, ita cæteris celato quæso. Ex Suollis, sexto Aprilis.

Doctores Colonienses taxantur.

THEOLOGORVM, ADEOQ; OMNIVM ERVDITOrum ornamento D. Conrado Fabro in Küsnack, Baptistianæ domus Præposito, Adamus Petri.

ECce, eruditissime vir, qualis autor à quibusdam è medio sublatus fuerit, qua causa apparet. Sed qui fines, ceu fluctibus maris, impiorum ponit furori, Deus non passus est prorsus perire.

perire. Quid quæſo unquam vidiſti, præter Biblicos, quos vocant, libros, literis commiſſum, quod & evidentioribus argumentis oſtendat totum Chriſti & ſcripturæ negotium, & fortioribus pugnet adverſus illos impoſtores inimicos Dei? quid vidiſti quod magis labefactet & obſcuret traditiones hominum? atqui certiùs nullum eſt argumentum, ex Deo eſſe, ubi enim inventiones hominum ſunt, hic nemo credat Chriſtum aut verbum Dei eſſe: non aliter atq; ubi Sol oritur, ſydera alia omnia occultantur. Quare hunc legere optarim, primùm: illos ſapientia & eruditione turgidos, qui rationibus ſuis philoſophicis vitam Chriſtianorum formare pergunt. Illos, inquam, quibus in Theologia hodie in toto penè orbe, nihil non tribuitur: quos ego ſimiles ſoleo dicere hirundinibus & muribus, qui cùm domeſtici ſint, & videantur cicures, cicurari tamen non poſſunt. Ita enim vidi, fieri non poſſe, ut verè Chriſtum cognoſcant, propter eruditionis vel ſanctitatis divitias, ut ita dicam, quæ tantò difficilius relinquuntur, quàm externæ opes, quantò arctiùs cohærent: quum vulgo Theologiciſſimi habeantur. Adeò falſa doctrina, prima fronte, nec ſpecie, nec nomine à vera abeſt, ſicut Stix fons neq; odore, neq; colore ab aliis aquis differt, tamen pota necat. Spero tamen jam hunc autorem efficacem in omnibus fore, modò legant: neq; enim docet ſicut ipſi, ſed ὡς ἐξουσίαν ἔχων. Aliâs certè videor mihi videre, quàm hoc genus hominum impediturum ſit Chriſtum: quanquam eruditiores adhuc in primo limine nihil reſtiterint. Deinde & illos legere velim, qui, ſine charitate, inflati ſcientia, puſillos in Chriſto offendunt, & temerè, in rebus quibus minimè oportebat, & per hoc Eccleſiæ Chriſti plurimum nocent: Velut in horto arbores, quæ ramis nimium luxuriantibus alias impediunt, quibus inquit Chriſtus, *Matth. 18. & Marc. 9.* Præſtat amputata manu mutilum, amputato pede claudum, eruto

Locus hactenus à nullo, quod ſciã, intellectus.

oculo luscum, ad vitam ingredi, quàm integrum mitti in gehennam ignis: monens multa dissimulanda. Quemadmodum igitur in te vivum Christianæ severitatis & modestiæ, ita in Wesselo mortuum, ut sic dicam, habemus exemplar. Idcircò & tibi viro omnibus Theologicis dotibus cumulatissimo, summum hunc Theologum nuncupare visum est. In qua re si quid pecco, tuo Hugualdo adscribas. Vale in Deo, quod oportet ut fiat per Christum.

FINIS.

INDEX

INDEX I.

NOTULARUM ET PROPOSITIONUM QUARUNDAM D. WESSELI, secundum ordinem hujus libri.

Statuta

Alia

INDEX I.

FINIS.

INDEX II.
RERUM AC NOMINUM, QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Mors

INDEX II.

INDEX. II.

FINIS.

Errata. pag.2.lin.21.effœta. p.6.l.25.Esaiæ. p.6.l.15.voluntate sit. p.17.l.12. epilepsiam. pag.18.l.1 Euripum. p.26.l.5.sit. p.27.l.22.hominum & angelorum. p.57.l.29.peccent. p.68.l.3.Spiritui sancto. p.82.l.13.restiterunt. p.130.l.18.partem. p.161.l.14.sperasse. p.175.l.21.illò. p.176.l.18.in justo. p.177.l.16.loquerentur. p.178.l.13.foris perfecta. p.181.l.5.potestate. p.192.l.2.sententiæ illi. p.192 l.11.à facie. p.211.l.9.horam. p.213.l.9.Diabolos. p.235.(imò ut cum stomacho loquar) Parisius aliquando pro Parisiis positum, quod ipsum, ut & leviora errata æquus lector facile corriget.

(*)

005647186